

SPIRITUALIA EXERCITIA

VERE DIVINA,

quæ compendio ferventem bonæ voluntatis hominem ad familiarem DEI amicitiam , plenam conformitatem , stabilemque unionem , & ad ipsum perfectionis apicem perducunt.

DIVINITUS REVELATA

Piissimo & Illuminatissimo Viro
Brabantino

D. NICOLAO ESCHIO ,

Presbytero ,

Primum ab eodem Germanice vulgata ;

Deinde

à

LAURENTIO SURIO


Carthusiano

etiam latinè edita.

BIBLIOTHEQUE S.J.



Les Fontaines
60 - CHANTILLY



Tandem

Notis quibusdam explicata à M. & A. I. M. O.

Hæc spiritualia D. Nicolai Eschii Exercitia, eoquod non solum nihil fidei, aut bonis Moribus contrarium, sed doctrinam Verè catholicam contineant, hominēmque bonæ Voluntatis via brevissima ad Deum ducant, & adjectæ notæ plurimum utilitatis iis, qui in Christiana Perfectione gressus facere intendunt, afferre possint, typo dignissima esse censeo. Augustæ Vindelicorum die 15. Februarii, anno 1792.

Imprimatur

Ex Rmo Vic. Off. Augusti
die 17. Febr. 1792.

Joan. Nep. Episc. Pelli.
Vic. Generalis Imprin.

JOS. ANT. STEINER,
SS. Theol. Doctor, Eminens-
tiss. ac Sereniss. Elect. Archi-
episc. Trevir. Episcopi Au-
gustani Consil. Eccles. Ma-
jor Pœnitentiarius, Confisco-
rii Assessor, Visitator Gene-
ralis, ad Insig. Colleg. S. Mau-
ritii Canonicus, & Librorum
Censor,

Authoris Vita.

Nicolaus Eschius, vir nobilis, natus est in Osterwick Brabantiae anno 507. Post mortem uxoris suæ Orationibus, & Exercitiis Spiritualibus eße consecravit. Corporis infirmates impedierunt ipsum ab ingressu Ordinis, & Monasterii Carthusiani: nihilominus Cellulam, quam sibi in vicinia Carthusiae Coloniensis ædificaverat, saepius inhabitare solebat. Dicitæ, ubi Concionator erat, mortuus est anno 1578. postquam Exercitia spiritualia, Margaritam Evangelicam, sagogem ad vitam internam &c. conficerat,

Ex Lexico Christiani Jöcher.



IN



IN EXERCITIA QUÆDAM DIVINA

prorsus , & quæ compendio hominem
in DEUM transformare n. queant ,
Authore D. Nicolao Eschio , magnæ
spud Brabantos existimatio-
nis & pietatis
viro ,

F. L A U R E N T I I S U R I I
AD PIUM LECTOREM
P R æ F A T Y O.

Ea , quæ sequuntur exercitia , ami-
ce Lector ! cuidam celebris opinio-

A nis

* *Exercitia* sunt hic Documenta sancta & fane
Etificantia , quæ & intra , & extra Orationem ex-
erceri & observari debent .

n. Quod *transformatur* , de una forma *transfir-*
m aliā : itaque Homo *transformatur* in Deum ,
quando *conformatur* Voluntati Divinæ ; & *Mores*
induit Divinis similes , Veritatem Divinam intelli-
git & Perfectionem ; Voluntatem Dei bonam ,
benelacentem , & perfectam diligit , beneficio-
rum perfectionumque Divinarum indefinenter me-
minit , Precepta & Consilia Evangelica obser-
vat &c.

nis viro divinitus revelata, facili compendio hominem, bona ac ferventi voluntate praeditum, ad familiarem Dei amicitiam, stabilemque unionem, & ad ipsum perfectionis apicem. b. perdunt: idque ita, ut neminem gravent, nemini, quo minus, quæ sunt status ac muneris, exequi possit, ullum praestent impedimentum: quin potius mirum in modum hominem relevant, & aptum atque idoneum efficiant ad externa, internaque omnia cum Deo, & in Deo, & pro Deo tranquillè ac devotè, neçnon prosperè administranda.

Unde cum implacabili in nos odio stimulatus pestifer serpens, non desinat pios ab iis, quæ possint illis faci-

lu-

b. *Perfectionis apex*, & summus gradus consistit in Charitate, amicitia, conformitate, & familiaritate solida, ordinata, humili & sincera hominis erga Deum, & cum Deo, ut integrè adhaerens Deo unum fiat cum Ipsi, & quidem stabiliter, quantum in hac via & vita est possibile. Attamen stabilitas ista intelligi, & adipisci non potest semper actualiter, sed Habitualiter, & virtualliter tantum, per ferventes & frequentes actus.

loti esse, ianumeris penè machinatio-
nibus, dolis ac molestiis avocare,
id nobis menendus es Christiane Le-
ctor, ut ne qua illius fraude ab his-
ce te exercitiis, revera divinis atque
utilissimis, retrahi patiaris: sed con-
temptis omnibus, quæ ille animo tuo
ingerere possit, Dei clementiam pre-
cibus continuis pulses, ut horum ti-
bi exercitorum cultum, gustum, frus-
tum, effectumque largiatur.

Quod ut impetrare sis idoneus,
ac dignus, curandum tibi erit; ut
perpetuò tibi ipsi observando &c. in-
vigiles, & ut ab orationis studio nun-
quam discedas. Nam sine his duo-
bus, puta sine orationis, laborisque
instantia, nihil hinc obtinebis. Sed
& hoc cum primis necessarium est;
ut bene sis à vitiis expurgatus: & ut
sciens ac prudens i. e. deliberate vo-

A 2

lens,

c. Nimirum observando, examinando, recolli-
gendo, vincendo, & custodiendo singulas cogi-
tationes, affectiones, passiones, locutiones,
operationes, omissiones, & intentiones tuas &c.
membrorum motus, sensuum actus &c.

IN EXERC. D. NICOLAI

ens , nullum intra conscientiam peccatum retineas , cuius te vere non paeniteat , quodque vel confessus non sis , naut confiteri nolis.

Ad hæc nullius tunquam vultum , nec ullas rerum labentium vanitates fixè contueberis : sed oculis demissis semper magis ad Deum intra te præsentem , quam foras ad creaturas , respicies.

Nunquam etiam vanus aut leviteris , sed amans pias & dulces lachrymas , & iudicium sanctum ex amore nascentem , pro tuis , ceterorumque hominum peccatis.

Deinde quolibet die invocato humiliter Spiritu sancto , sine quo nihil poteris , manè una hora ; d. ac vesperi simi-

d. Una hora , aut plures , in die , si his exercitiis , aut similibus impendi nequit , impendatur quodtentique potest , tempus , queraturque locus à turbis & distractionibus liber , vel liberandus . Idem faciendum cum diebus &c. locus obscurus Coercet aurum , & oculorum curiositatem , & ideo tam Orationi , quam Meditationi recollectus ac devotus inservit.

ESCHII PRÆFATIO:

similiter, tē ipsum in obscuro & solitario loco includes, ibique in te ipsum int̄rogressus, e. Deum tuum tibi revera præsentem attēdes, atque ita in quolibet horum exercitiorum, octo vel decem, aut duodecim, plures etiam pauçioresve, dies devote orando ac meditando versaberis, quemadmodum tum res ipsa, tum tue personæ ratio exigere videbitur: atque interim misera facies alia voluntaria exercitia, quæ tibi ipsi constitūsti, ut sic tota die ac nocte id, in quo laboras, exercitium memorie tue ac desiderio propositum sit, animoque infixum.

Tum etiam sensus tuos intra te colliges, virésque animæ cunctis ima-

A 3.

gi-

e. In semetipsum ingredi est omnia tam interna, quam externa sérutari, recolligere, coordinare: & ad Deum in corde præsentem se convertere, seu introvertere, suspirare, orare &c;

f. Infixum animo est exercitium aliquod, quando ipsum impensè Consideratur, identidem recogitatur, atque in proxim redigitur.

ginibus nudatas, *g.* tam profundè in Deum tuum desiges, imprimis, immerges, *h.* ut ex nulla creature aliquid medii i. patiaris. Quod ita fiet,

si,

g. Ab imaginibus cunctis nudatur anima; quando liberatur à cogitationibus, imaginationibus, & distractionibus universis, quæ varia quasi depingunt in memoria & phantasia humana.

h. Vires animæ sunt tres, *Intellectus*, *Voluntas*, & *Memoria*; hæc nudæ, puræ, ac simplices sunt, si Deum super omnia, tanquam summum bonum, cognoscit & estimat *Intellectus*; super omnia & ex omnibus diligit *Voluntas*: in omnibus recognitat, & ubique præsentem reveretur, invocat, & adorat *Memoria* &c.)

h. Clavus, qui in aliquo subiecto affigitur, vel defigitur tantum, facile extrahi & amoveri potest: difficulter autem, qui imprimitur: & difficillime, qui immersitur: sic etiam Vires animæ nostræ in Deo, id est, in Dei Cognitione, dilectione, recognitione, adoratione & Imitatione superficialiter tantum, vel solidè, vel etiam profundè occupari, & quasi stabiliri possunt, fine omni alicuius distractionis, aut inordinati amoris, timorisque medio & impedimento.

i. Medium aliud est adjuvans, aliud impediens: hic summittar pro impidente, sicut e. g. interpositio Januæ clausæ est medium, quod impedit unanem cum inclusa homine. Sic omnis Cogitatio, omnis affectio, omne verbum, omne desiderium, omne opus, omne gaudium, quod tendit in aliquam creaturam, vel quod occupatur, terminatur, queritur, authauritus ex aliqua Creatura, est medium, quod impedit, minuit, vel extinguit Charitatem, Claritatem, & Memoriam Dei; hæc enim distrahit, occupant, & quasi dilacerant vires, & actus animæ.

ÆSCHII PRÆFATIO.

Si quadam animi æquabilitate, placidè, & abaque cordis immoderata sorbitudine & affectu, quæ facienda sunt facias, servata semper cordis libertate, & ut ne illud ea occupent & lacerent, sed simpliciter i. cuncta geseras in Deum, cui utique periculum nihil potest.

Porro in his ipsis exercitiis, si filii noles, necesse est, ut humili ac simplici obedientia viro alicui bene experto, si talis haberi possit, tete submittas, qui te in his dirigat; à quo in rebus dubiis consilium petas; cuius ducum sequaris, cuius ita foris, ut Dei intus m. monitis obtemperes, ac forte, quod est admodum perniciosum, propria subnixus ac fretus vo-

A 4

hun-

k. Äquabilitas & libertas Cordis in omni eventu, & loco, negotia, consortio &c. sibi semper æqualis manet, quin jam inaniter latetur, jam inordinate tristetur.

l. Simpliciter, i. e. simplici & filiali cum intentione, confidentia & patientia &c.

m. Foris habemus verbales doctrinas hominum: intus occultas Inspirationes & Instructiones Dei, utrasque debemus observare.

IN EXERC. D. NICOLAI

tūtate, à maligno spiritu, id quod facile accidere potest, in errores ac pericula tuæ salutis abducari. Interim rogandus tibi erit Deus, ut ejusmodi, quem fortè elegeris, hominem sua gratia illustret, quò in omnibus ita, ut sit maximè saluti tuæ utile & accommodum, te regat, instituatque.

Cæterum cuncta tua Exercitia cum perfecta facies cordis in Deum sublevatione, conversioneque, cum ignitis quoque suspiriis, & amorofo omnium animæ virium effluxu in Deum, non interim anxiè nimis cum aliqua tristi mora peccata tua præterita, vel præsentes tentationes commemorando, sed quasi negligendo ea, nec ad-

ver-

n. Fons effluit in aliquod vas, aut subjectum, si omnes ipsius guttae in illud ipsum diriguntur, & Colliguntur: sic *Intellexus* humanus effluit in Deum, si omnes eius cogitationes, studiositates, & Considerationes: *Voluntas*, si omnes affectiones, maximè si omnis eius Amor: *Memoria*, si omnes recogitationes, reflexiones, & imaginationes, solummodo ad Deum diriguntur, & in Deo Congregantur, atque quiescunt, quasi uno fluxu & confluxu, sine intermissione, & distinctione.

retendo saltem, aut certè in inferio-
ni homine cum aspernatione relin-
quendo. Hæc enim una omnium fa-
cillima ratio est tentationes superan-
di, ut quoties eas persenseris, semper
amorose, o. cor ad Deum tuum su-
stollas. Alioqui medium & impedi-
mentum facilioris, velocioris, & effi-
cacious victoriæ tibi præstant.

Enimvero & venialia peccata cun-
cta multò faciliùs, efficaciùs, & perfe-
ciùs amorosa quadam & ferventi men-
ti⁹ ad Deum conversione applicatione-
que delentur, quam si ad ea etiam
cum contritione, imperfectâ nimirum,
respiciatur. Sed hoc occultum quod-
dam exercitium est, paucis cogni-
tum, ac minus usitatum.

Conferet autem non parum ad Dei
A 5 ac

o. Amoroſe sustollitur Cor ad Deum, quando-
unque vel devotum susprium, vel brevissima
quædam oratiacula, vel solus oculorum intuitus
cum amore filiali emittitur, vel dirigitur ad Deum,
magia cum fiducia, & sine omni Cordis inqui-
tudine.

IN EXERC. D. NICOLAL.

psius cognitionem unius, alteri-
spituli attenta, profundaque ru-
o, sive ex Augustini Meditatio-
Soliloquiis, sive aliorum id ge-
is opusculis. Huc etiam sin-
er utilia esse possunt D. Thomæ
Opuscula 60num 61num 62num
58num 59num.

I cætera exercitia maximè pro-
ea, quæ apud Henricum Har-
pluribus locis magna laude
is gratia tractantur.

rrò ubi plūs solito gratiâ te de-
m p. senseris, intentis & vel
r institutis Orationibus brevissi-
vel in memoriam revocatîs SS.
uræ consolatorijs sententijs ac
itionibus amissum cordis gaudi-
um

ratiâ dulci & sensibili destitutus, vel qua-
utus est, qui contrâ intimam, & seriam
em suam distractior, aridior, tepidior,
, obliviousior, & contrâ Virtutes fidei, spei,
s, Castitatis &c. tentatus magis, vehe-
, frequentius, diuturnius existit, & in
quasi in umbra mortis vivit, jacet, vel

um revoces: divina ad mentem beneficium
are ducas, Deumque medullitus laudes,
instar Heliæi Psalmem sibi abhibentis:
aut etiam cum Davide cogites, bonum tibi esse adhaerere Deo; huic univaces, hanc ardenter sitias, q. assiduè mediteris; ad ipsius præsentiam non tantum acquirendam, sed & conservandam, vigilando, observando, ubertim flendo & suspirando.

Enimvero si ad Dei contemplationem præparari velis, primò vitia omnia deseras oportet, terrena quæque fastidias & calces, s. sancti Spiritus visitationem sitibundo cordis affectu desideres, gratiam hanc contemplationis à Deo continuo preceris, ad amo

qr. Sitire aliquid est æstuanter, ferventer. & Constanter ipsum desiderare, & quærere, donec obtineatur, sitis restinguatur, & desiderium adimpleatur.

r. Fletu, si non Corporali lachrymarum, quæ in potestate nostra non sunt: saltem spirituali, vel Intellectuali gemituum intimorum &c.

s. Calcanda, contemnenda, fastidienda, & relinquenda sunt terrena, quomodo, & quando, & ubi hoc vel præcipit, vel permittit ratio sua, & assumpti, & Officii injuncti.

amorem unientem t. ceu Exercitiorum omnium finem , jugiter aspires , atque in his omnibus , donec ea adipiscaris , magna contentione labores , carnis curam etiam in licitis & concessis u. ob studium divini amoris saepo rejicias ac repellas , certus quod qua amaris ardenter , eo Deum Optimum Maximum proprius contemplaberis . Vale.



DE

t. Amor uniens animam vel Innocentem , vel Pœnitentem cum Deo . & D. N. Iesu Christo consistit in Charitate Perfecta .

u. Ad Perfectionem Charitatis ; Castitatis , omnisque virtutis qui aspirat , & pertingere laborat , non solum illicita omnia evitare & abhorrire debet , sed & licita , permissaque multa declinare in cibis , potibus , vestibus , lusibus &c.



23

DE VIA PURGATIVA.

Ut cognoscas Deum. b.

EXERCITIUM I.

PRIMO exercebis te in fortí , c. per-
fecta d. & profunda e. cognitione
Domini Dei tui , quantum per gratiam
Eius obtainere poteris.

Hanc

a. *Purgatio à peccatis , multoque magis à
peccaminosis affectibus , habitibus , & Consue-
tudinibus nisi fiat , & præcedat , neque Illumina-
tio vera , neque Unio sancta , & Perfectio
solida obtineri potest.*

b. *Primum Principium & ultimus Finis no-
ster est Deus noster , propterea in primis ; ante
omnia , & super omnia Cognosci , appretiari ,
diligi , quaeri , & desiderari debet.*

c. *Propter , & Contra varias tentationes et-
torum , erronumque fortis :*

d. *Ad Consequendam & Conservandam Chara-
ctris Divinæ integritatem Perfecta :*

e. *Ad prægustandam felicitatis æternæ gloriam ,
Profunda , familiaris , & intima debet esse Cog-
nitio Dei , Perfectionumque Divinarum : qua-*

Hanc autem cognitionem magis impetrare conaberis fervidis desideriis f. & devotis orationibus, quam arduis studiis & laboribus externis. g. Dei enim dominum eum singulare & pretiosum valde. Quapropter saepenumero humili & profundo corde i. e. saepè actualiter, semper virtualiter, contrito, humiliato, & in nihilum suum demerso corde, ipsummet Deum tuum desiderabis possidere: orabisque, ut tibi manifestare dignetur se ipsum, suamque voluntatem bonam, beneplacentem & perfectam.

Attende ejus æternam & infinitam potentiam, sapientiam, bonitatem, & incomprehensibilem amorem.

Considera Quid b. sit Dominus Deus tuus

f. Multò melior est, si sapida fuerit, & practica, quam speculativa tantum; & ideo multò magis orandum, quam legendum, studendumque.

g. Deus enim se se manifestat, & Communicat humiliter Credentibus; instanter suspirantibus, devote orantibus multò citius, largius & Copiosius, quam curiosè & superbè studentibus.

h. Quid? Ens perfectissimum, Primum, sumnum, unicum & omne bonum tuum. Quis? Deus deorum, Dominus dominorum, Creator, Gubernator & Remunerator tuus &c. Qualis? Veterissimus, fidelissimus, Potentissimus, Sapientissimus, Ameneissimus, & Amandissimus &c. Quantus? æternus, immensus, infinitus, incircumscriptibilis, incomprehensibilis &c.

tes; Quis, Qualis & Quantus : Nem-
pè Deus altissimus super omnia , sum-
ma veritas, æterna & immutabilis i.e. bo-
nitas , vera & sempiterna substantia , &
charitas infinita , qui in seipso adeò exi-
stit magnus & ineffabilis , ut multo me-
lius & verius cognoscatur per ablatio-
nem seu abnegationem à omnium per-
fectionum & dignitatum , quæ de eo co-
gitari & dici queunt , (ut est potentia ,
sapientia , bonitas & similia) quam per
corundem affirmationem.

Expende insuper , quod Deus est ve-
rus , proprius , naturalis locus , sedes ,
cen-

i. *Immutabilis* est Dei bonitas , quia non
vincitur à malis , peccatis & ingratis inibis ho-
minum malignantium , sed quasi certat cum ipsis ,
quis tandem victor evadat , an homo in ma-
lefaciendo , an Ipse Deus in benefaciendo ?

ii. *Attribuimus* Deo & *Affirmamus* de ipso
Perfectiones , si cogitamus , vel dicimus : Deus
est Potentior , sapientior , benignior , largior &c.
quam omnis homo , vel Angelus : sed si dici-
mus vel *Cogitamus* , Deus non est Potens sicut
Creatura aliqua , sed infinitè potentior &c. auf-
ferimus , & negamus à Deo perfectiones creatas ,
& attribuimus Ei infinitè Perfectiores : prior vo-
tatur *affirmativa* , posterior *Negativa* Dei cogni-
tio.

centrum , & vita animæ tuæ , in quo anima tua per suam ideam ab æterno quievit , à quo tempore creationis effluxit , & in quem redire debet , ut in Eo , & per Eum quiescere valeat : alioquin peribit in æternum .

Sanctam quoque Trinitatem devotissimè adorabis & laudabis , hoc vel simil modo : O sanctissima Trinitas , tua dulcissima unitas per amorem fluat , m. obsecro , in me , & in omnes creaturas te laudare valentes .

Con-

l. Deus , qui à se , ex se , & in semetipso optimus , maximus , perfectissimus , & felicissimus atque beatissimus est , pro te quā Deus per essentiam , potentiam , præsentiam & Charitatem perpetuam : qua Deus - Homo per Incarnationem , transsubstantiationem , meritā , & sacramenta sua &c. est locus , in quo habites : sedes in qua requiescas : Centrum , id quod tendas : vita , per quam vivas hic in gratia , ibi in Gloria : in ipso ab æterno in æternum per Ideam es sicut artefactum in artifice : ab ipso creatus es sicut rivulus à fonte : in Ipsum redire & converti debes per fidem , spem & Charitatem omni virtute suffultam & ornatam , sicut flumina redeunt in mare , ut beatificeris , alias peribis .

m. Quod fluit , alteri Communicatur , & manifestatur : igitur SSS. Trinitatis Unitas fluit in hominem , quando Intellectui ad Cognoscendum & possidendum : Voluntati ad diligendum & Memoriae ad fruendum , & recogitandum quasi Continuato actu , fluxuque manifestatur , & Communicatur .

EXERCITIUM PRIMUM.

17

Contemplare Patrem esse summum, æternum, ineffabile, & incomprehensibile bonum, qui ex se ipso profert bonum, æternum sibi coæquale & consubstantiale, quod est ejus unicus Filius: qui duo infinita charitate & complacentia sese invicem diligunt; & hæc charitas Spiritus sanctus est.

Affuesce sapientius, imò & affiduè ad dulcissimum Deum tuum, talem ac tantum Dominum, aspirare & dicere: *O Domine Deus meus, Et omnia, ostende mihi te ipsum, Et sufficit mihi. O dulcissime Deus, infunde mihi lumen tuum, accende cor meum amore tuo, conforta infirmitatem corporis mei presentia tua. Eg similia multa, prout unctio docebit.*

Meditare etiam, quomodo ex ipso, per ipsum, & in eo ipso sunt omnia,

B

cui

a. Affiditas ista actualiter in hac vita non est possibilis, sed Habitualiter, Virtualiter, & per frequentiores aspirationes, recollectiones, & renovationes bonae Intentionis, perfectaque vel contritionis, vel dilectionis, vel conformacionis, vel unionis.

b. Ex Deo sunt omnia, quia Creavit & creat omnia: per Deum sunt omnia, quia Conservat & gubernat: in Deo sunt omnia, quia Immensitate sua comprehendit omnia.

cui omnis honor & gloria sit in sæculo
sæculorum. Amen.

Cæterum cum ex notitia & clara cognitione Domini Dei Creatoris nostri omnia bona p. in animam promanent, quæ diabolus nobis invidens, tota malitiaæ suæ virtute nititur impedire, & nos excæcare: atque è diverso ex Ejus ignorantia, omnis tentatio, amaritudo & damnatio in nobis suboriantur: Hinc danda tibi opera est, ut Domini Dei tui omni tempore dulciter & amorosè q. recorderis, & saltem haec tria, videlicet Ejus *essentiam* sive bonitatem, r. *præsentiam* & *dilectionem*, assidue ob oculos mentis s. geras.

Pr-

p. *Omnia bona spiritualia*, & *omnis solidavirtus*, *omnis pax* & *tranquillitas cordis*, *omnis felicitas animæ* &c. Causantur, & Conservantur, à Vera, & perpetua Dei Cognitione, frequentique recordatione.

q. Recordatio ista *dulciter*, i. e., sine tristitia, inquietudine, & anxietate fieri debet, & *amorosè*, nimirum ex amore filiali, & cum ingenti simul ac Humili confidentia.

r. Deus non tantum accidentaliter est *bonus*, sed *essentialiter*, & Ipsi *Bonitas*, sicut Ipsi *Veritas*, *Sanctitas* &c.

s. *Sicut oculis corporalibus* videmus sensibilia & materialia; ita *oculis mentis*, i. e. Cognitionibus, cogitationibus, recordationibus, & imaginationibus spiritualibus animæ nostræ percipiimus Deum, attributa, beneficia, promissa &c. Divina, quo saepius, eo melius, sanctius, & iustarius.

EXERCITIUM PRIMUM.

29

Primo, attende infinitam Ejus nobilitatem, sublimitatem, justitiam, pulchritudinem, potentiam, sapientiam, bonitatem, charitatem, dulcedinem, liberalitatem, misericordiam, &c. & alias innumeras ejus perfectiones, quae revera adeo in immensum omnem creaturam intellectum vincunt, ut quicquid de his creature simul omnes capere, aut dicere possunt, minus sit, quam gutta una ad universum mare.

Et hic tantus Dominus animam tuam ad suam similitudinem nobilissime creavit, sui ipsius per amorem capacem. Cui tres nobiles vires indidit, ut ip-

B 2 sum

s. *Perfectiones & Mores Divinos aliqualiter ostendit & explicant Opusc. 61. & 62. D. Thomae Aquinatis.*

Dicitur, quae construitur ad similitudinem perfectissimi Palatii ab optimo Architecto non potest non esse nobilis: multò igitur nobilior debet esse *Homo*, utpote qui à summo Deo juxta Imaginem & similitudinem suam factus est. Idem explicari potest per Picturæ alicuius excellentissimæ Copiam à Pictore perfectissimo factam &c.

w. Quomodo per sensus & membra nostra participes & capaces sumus rerum sensibilium, & exteriorum, sic per Intellectum cognoscere, & cognoscendo participare: per Voluntatem elige-re, diligere, & apprehendere: per Memoriam possidere, retinere, & gustare possimus & debemus Deum, Perfectiones, & Beati-tudinem Ejus: adeoque in Ipso manere, qui escere, satiare, consolari & lastari.

sum non solum in futura , sed etiam
in præsenti vita per intellectum fide &
contemplatione cognosceres , per volun-
tatem tuam eligeres & amares , & per
memoriam in eo requiesceres : Eisque
unitus maneres , illi fideliter adhaereres ,
& ejus comparatione omnia alia pro
nihilo duceres.

Certè , nisi à diabolo excæcatus esses ,
tanta in illum complacentia & dilectione
trapereris , ut præ gaudio & admiratione
deficeres : x. læta quoque & tristia non
curares neque animadverteres , y. nec ad
momentum z. quidem te ab intuitu a. &
amore summi istius boni disjungi pate-
reris.

Secun-

x. Qui *deficit* , & deliquium patitur , non sen-
tit exterjora , vel interiora : sic qui perfectè cog-
noscit & diligit Deum , non curat , & quasi non
sensit negotia temporalia , & corporalia.

y. Læta & tristia non sunt magnopere cur-
anda , secundum doctrinam , & exemplum infra
in Colloquio Doctoris & Mendici à Thaulero
explicatum.

z. Hoc iterum non est intelligendum de
Aitu , sed de *Habitu* , & frequentiore , ferven-
tioréque repetitione.

a. *Intuitio* spiritualis est cognitio , cogitatio ,
vel recordatio , brevis , brevior , vel brevissima :
clara , clarior , vel clarissima : vel etiam confusa ;
& obscura , attamen vera & firma in fide Chri-
stiano - Catholica.

Secundò, vide ingenti cum lætitia & gratitudine, quod, & quomodo idem tantus ac talis Dominus, ex æterna charitate sua multò interius veriusque fese tibi ubique locorum, & maximè in anima tua præsentem exhibeat, quām sis ipse tibi, ut te in esse conservet, regat, faciatque salvum ac beatum: atque ideo magna tibi indicta est necessitas probitatis, b. si disimulare nolis, quum agas omnia coram oculis cuncta cernentis.

Vide, inquam, charissimum Deum, cretorem & amatorem c. tuum, tibi perpetuò præsentem & intentum: & ambala sicut casta sponsa, cum magnitudo & reverentia, pudore & humilitate, obedientia & patientia, coram oculis altissimæ majestatis ejus: indefinenter præparans, d. ut illi placeas: & su-

B, 3. spi-

b. *Probitas* hic includit omnem Honestatem morum, omnemque Reverentiam Deo exhibendam.

c. Deus à se, ex se, & in se solo perfectissimus ac beatissimus nullius Creaturæ indigebat, sed ideo tantum, quia infinitè bonus est, sive Perfectionis & beatitudinis participes reddere voluit. Angelos & Homines, & Te indignum, ingratumque. Est igitur *Creator* tuus, quis *Amator* tuus.

d. *Indefinens* ista præparatio est perpetua, de talis Conversatio in - & exterior, ut Deo placere debat,

spirans , & ut illum teto corde diligere
& amplecti valeas .

O quanta gratiarum affluentia hinc
tibi accresceret , si ita ageres .

Vide tertio , quod idem tantus Do-
minus , tam immensa & aeterna charitate ,
constantि gratitiaeque dilectione perpetuo
f. ad te conversus est , ut omnem etiam
Angelicum vincat intellectum & desideri-
um : g. tanta ejus erga immundum ver-
naculum dignatio , qua tibi intendit ,
adeoque cui curam gerit , acsi nulla alia ,
vel in cœlis , vel in terris creatura super-
esset : & à tot ac tantis malis & periculis
animæ & corporis te eripuit , & defen-
dit ; totque & tantis beneficiis gratis te
prævenit , ornat & prosequitur , omni
momento temporis , licet ingratissimum .

ut

a. *Spiritia* haec non possunt esse Continua-
lēs , sed *Habitu* & *virtute* , ideo sufficit fre-
quens & devotę eorum repetitio , ac renovatio-
nē f. Ab aeterno in aeternum diligit , curat ,
& gubernat Deus omnia , quae fecit , præsertim
Electos suos , quos inter te esse , potes
pudem sperare , quamvis non debas Credere ,
ut valeas infallibiliter scire .

b. g. Dilectionem , Curam , & follicitudinem
am magnam , tamque perpetuam erga hominem
& pro homine tam ingrato , nemo satis intelli-
pare potest , nequō petere auderet .

ne vel exiguum illorum partem numerare
quoniam sufficiat.

Ex hac etiam charitate liberissimam
tibi vel momentis singulis se acceden-
di copiam præbet, adeò ut vel solo pio
desiderio i. ipsum summum valeas bo-
num obtainere & possidere, ipsique uni-
versas necessitates t. tuas, velut amica
omnium fidelissimo, securissime pan-
dere.

B 4

In-

A. Homines, præsertim divites, aut poten-
tes, nulli liberum accessum ad mensas, vel in-
domos suas, multoque minus ad amicitiam,
aut familiaritatem suam concedunt, nisi qui
specialiter ipsis placeat, vel instantius eos ob-
secrat; & tunc per famulos prius insinuari de-
bent: sed Deus ita Pius est, & Munificus, ut
non Certo tantum tempore, sed omni momento,
sive omni ministerio, vel impedimento, semper,
& ubique, in vili etiam stabulo, sicut nasci,
ita & adorari, invocari, & consultari possit,
velit, & gaudet; Instatur enim, cum nobis
benefacere potuerit, secundum, non Contra;
voluntatem nostram.

i. Non auro, non argento, sed folio desi-
derio filiali, sincero, & devoto emendus,
obtinendus, possidendum, & fruendus est Deus.
Ex immenso amore tam vilem se fecit &c.

k. Tria id sunt Cogitationes, & incertæ pro-
videntiae hominum: sed occulta Dei Conilia &
infallibilia sunt, & efficacissima, quamvis non
habet sentiantur.

Inter infinita autem præconia , quæ de Deo tuo scribenda atque pensanda forent , juvabit te vel maximè , ut indefinenter mediteris Dei Creatoris & Redemptoris tui bonitatem , pulchritudinem , pietatem , misericordiam , dulcedinem , amabilitatem , charitatemque perennem & infinitam : ut per eas velut per ignitos quosdam carbones , in cōtum l. congerendos , ipse in easdem virtutes transformeris , & ad reddendam qualemcunque amoris vicem perpetuo accendaris.

O si supradicta tria m. fideliter & indefinenter exerces , quam dulciter manè ad Deum tuum evigilares , quam citè ab omnibus vitiis & passionibus , amaritudine quoque & tentatione omni liberareris , & amore conditoris totus inebria-

l. Perfectiones Dei quo sœpius considerantur & in memoriam revocantur , eò magis movent nos ad Charitatum &c. sicut Carbones igniti , vel resuscitati vehementius urunt.

m. Primo Effientiam , Præsentiam & Charitatem Dei magis ac magis perpenderes : secundò Humiliūs , frequentius ac magis devote Deum adorares , invocares , & exorare satageres : Tertiò Indefinenter , diu , noctuque , ad Deum cogitationes , affectiones , & intentiones tuas elevares , ac suspirares &c.

briatus, & in virum alium mutareris, in deum totus in Deum transformareris: e. quia nullum isto sanctius & fructuosius invenitur exercitium, quod D. Augustini & aliorum Dei amicorum corda jaculo amoris medullitus p. interdum transfixit, cum illuminatis oculis q. attenderent suspenda amoris insignia, praesertim in incarnatione, vita & passione illius: cæteraque innumera beneficia à tanto Domino sibi impensa: justoque perpenderent judicio charitatem illam nimiam, quam tantus Dominus sese nascens dedit nobis in socium, convescens in edulium, moriens in r. pretium, & regnans servat in præmium.

A

U

a. *Ebrinus* est saturatus, & adimpletus vino; aut alio potu; periculosa, & peccaminosa est hæc ebrietas. Verum ebrietas spiritualis non aliam repletionem, aut saturationem habet, quam illam Cognitionis & Dilectionis sanctæ, propter quam anima in solo Deo delectari, & ab Ipso solo satiari, ac beatificari desiderat.

a. Vide supra, quid sit transformari. pagina 1. nota a.

p. *Medullitus*, i. e. penitus, ex toto &c.

q. *Illuminatis oculis*, i. e. Clarificata & Certificata scientia aut Fide viva.

r. Vide Opuscula 58. & 59. & 61. D. Thomæ Aquinæ.

Ut cognoscas te ipsum.

EXERCITIUM II.

Secundò exercebis te in profunda cognitione tui ipsius. Attende ergo quām nobiliter anima tua à Deo creata sit ex nihilo, ad imaginem & similitudinem suipius.

Et quām misera, fœda, b. & abominabilis c. facta sit per peccatum originale,

Et quod indè redemptus sis per ineffabilem amorem d. & durissimam satisfactionem Jesu Christi. Sed

Po-

a. *Profunda*, i. e. vera, & non superficiali tantum, falsa, aut fallaci.

b. Vide in Exercitio I. Litteram n.

c. *Misera* est anima propter ignorantiam, frangilitatem, impotentiam, & malitiam Virium suorum, nempe Intellectus, Voluntatis, & Memorize: item propter sensuum & membrorum Corporalium inordinatas propensiones ad delebilias, curiosa, superflua, periculosa & illicita: nection propter amissam originalis justitiae & Inocentiae gratiam. *Fœda* autem propter peccatorum maculas, concupiscentias, & consuetudines vitiosas: & per consequens abominabilis propter hæc omnia:

d. Ut ab istis liberareris Jesus est Incarnatus, passus & mortuus; sed tu his omnibus Cooperari negligis.

EXERCITIUM SECUNDUM.

Postea te ipsum iterum & saepius
maculasti , e. & aversioinem à summo
bono fecisti ; per tuam propriam vo-
luntatem & actualia peccata : & factus
es turpior ac vilior quavis irrationali
creatura. f.

Eja , attende in quanta mala per pec-
cata tua propria lapsus sis : quodque ex
te ipso g. nunquam indè resurgere va-
leas , sed in solo Deo h. possis omnia.

Nam per veram amoris ad Deum
& ad omnes virtutes conversionem , lice-
bit utique redire ad unionem Dei.

At-

e. Omne peccatum est inordinatus aliquis amor
alii rei creatæ , quæ Deo & Eius Præcepto
antefertur : & in se quidem continet *culpam* , in
anima vero causat *maculam* , sicut in corpore cor-
ruptionem , & coram Deo promeretur *pænam* ,
vel temporalem , vel omnino æternam. *Macula*
manet in anima , quamvis deleatur *Culpa* , sicut
e. g. in argento , vestimento albo &c. frides
aspergiss removeri faciliter possunt , non autem
maculationes causatæ.

f. Irrationalia , & inanimata serviant Volun-
tati Divinæ , non autem peccatores , vel pecco-
tes homines , nisi fors ad exercendos justos.

g. Sine Gratia , & Misericordia Dei nihil boni
ex te solo potes ; ergo neque à peccato resurge-
re ac resipiscere.

h. In solo Deo , & cum Eius auxilio potes
omnia bona bene peragere , si gratarter , humili-
ter , & fideliter Ei Cooperari studueris.

Attende te idcirco à Deo creatum , ut semper Eum ipsum diligere , contemplari , i. frui , possidere debeas : quodque hic positus sis à Deo , ut ipsi fideliter servias & gratias agas : ipsumque laudes , benedicas & honores : ejus quoque gratissimam voluntatem in te & in omnibus creaturis agnoscas & exequaris.

Considera te hic secundum animam esse in terra aliena exulem & peregrinum , multis láqueis & hostibus circumdatum , & mille periculis expositum : qui si in Deo manseris , & nemo te lacerare poterit.

Attende quam incomprehensibiliter nobilis , pulchra , NB. sapiens , à Deo sic con-

i. *Contemplari* , i. e. , Cognoscere , recognoscere , invocare , ac adorare &c.

k. Juxta Colloquium Theologi & Mendici.

l. In Deo manemus quamdiu Eius Voluntatem adimplere satagimus , Eumque verè diligimus.

NB. Nobilitas , & pulchritudo ista fuit in anima humana ante lapsum Adæ : dein restituta est in Baptismo : & quotidie recuperari potest per Pœnitentiam.

Econtra foedatur anima per peccatum Originale , per peccata propria , per relapsos , consuetudines , & affectiones , amorésque inordinatos ,

condita anima tua ad ipsius imaginem & similitudinem factus es nihilominus secundum corpus de limo terrae infirmus, miser, vilis & egenus, ad omnia peccata & vitia pronus, tendensque semper ad interitum. Itaque vide, ne propter vilissimi corporis tui viles & fædas, ^{m.} citoque transeuntes voluptates nobilissimam animam tuam cegas servire corpori, & ita ipsam cum corpore perdas, & aeternis ignibus addicas.

Considera diligenter omnes cogitationes, verba & opera tua, an finis & scopus omnium virium & sensuum tuorum semper ad Deum tendant, vel ad te ipsum, sive ad creaturas: & videbis te nunquam satis tecum ipsum humiliare & emendare posse.

His

^{m.} tos, & in honestos. Speculum conversum ad pulchritudinem, concipit in se, & representat similem pulchritudinem: & conversum ad fæda concipit & representat foeditates: Sic etiam anima per amorem Convertens se ad Deum, Deoque placita, in se recipit, & conservat Pulchritudines spirituales, quæ ipsam sanctificare, & beatificare possunt: si autem alia cogitat, magnificat, diligit, intendit, exquirit, procurat, tunc foedatur, & abominabilis redditur.

^{m.} Voluptates Corporales non solùm citissime transeunt, sed vix momentaneæ sunt, & tam animam, quam corpus lœdunt, vulnerant, vel etiam occidunt, tempus perdunt, pecuniam & substantiam domesticam consumunt, famam dilacerant, & mala innumera causant,

His addere licebit, quidquid tibi ad
tui ipsius & proprii nihil tui cognitio-
nem conferre poterit. *n.* Attende sæ-
pius, quid, qualis, unde, & ubi sis, &
quo abiturus. Vide hoc triplex nihilum
tuum, videlicet quod per infinita gravissi-
maque peccata tua nihil factus sis, & in in-
ferno inferiori, *o.* si Deus voluerit, per-
petuo torquendus, velut vas fætidum &
cibus ignium.

Secundò, quod ex *p.* intima cor-
ruptione virium & sensuum tuorum per
pronitatem ad omne malum (quod com-
mitteres, nisi Deus te præservaret) factus
es abyssus tenebrosa, *i.* vas aptum in
con-

n. Quid es? miser, indignus, ingratus homo,
& peccator. Qualis? fragilis, inconstans, cœ-
sus, ignorans, oblivious, pravus, ad omne ma-
lum pronus &c. Unde? ex nihilo, ex immun-
ditiis, ex iniquitatibus &c. Ubi? in medio peri-
eulorum, scandalorum, temptationum, hostium,
tam visibilium, quam invisibilium &c. in incerto
salutis statu &c. Quo? vel in Cœlum, vel
in purgatorium, vel in infernum.

o. Inferiori, pœnisque sempiternis.

p. Virium spiritualium, sensuūque corporali-
um corruptio, depravatio, & vitiatio in tan-
tum est intima, in quantum plenè intelligi, &
perfectè corrigi in hac vita nequit &c.

q. Abyssus fundum non habet, & tenebras
Ignorantiae, errores, obliviones nostræ neque,
sunt habent, neque modum &c.

extrumeliam, genitus per immunditiam,
vivens in concupiscentia, moriturus in
angustia.

Tertiò, quod comparatione Domini
nostrí Jesu Christi, tu, & omnia, nihil r.
sint: quod ex nihilo producta, & ad
nihilum reditura essent, nisi continuè
& Deo conservarentur.

Quapropter desidera contemni, de-
spici & ignorari ab omnibus hominibus,
absque tamèn tua culpa: & mundo gau-
dente s. tu te ipsum cum Christo afflige:
& time semper, & ubique Deum filiali
timore. Humillima quoque profer,
cogita & age, semper credens instare
adventum sponsi tui cœlestis dicentis:

Ec-

a. In consideratione & comparatione Per-
fectionum, meritorum, Virtutumque D. N. I.
Christi, etiam virtutes, & qualescumque per-
fectiones tue quasi nihil sunt, & defectus, at-
que imperfectiones.

s. Gaudia mundi variis vitiis redundant, & ad
peccata trahunt; hinc ex amore Dei ipsa vitare,
Deumque offenditum quasi Consolari: ex amore
tui ipsius occasiones peccatorum abhorre: &
ex amore Proximi pro peccantibus orare debes
ubicumque, & quominus documque potes, sed
saepe omni amarulentia; superbia, aut temerario
quodam Judicio: salvâ etiam Charitate suæ,
& Obedientia necessaria. Praetextus veri, honesti,
& modesti non deerunt Vôlenti.

Ecce sponsus venit, exite obviam ei,
sicque in tuum semper resiliens & nihi-
lum, cum stupore admiraberis, quod
Deus patitur te creaturam tam fœdam
& ingratam, ad momentum coram oculis suis versari.

Clamabisque humiliter ad Dominum,
ex abyso misericordiae tuæ, invocans abys-
sum misericordiae Illius cum frequenti per-
lustratione conscientiae tuæ, usquequo sua
singulari (qua ad hoc indiges) gratia
tribuat tibi clarè dignoscere omnia tua
vitia, passiones, propensiones vitiosas, &
peccata universa, quæ in viribus & sensibus tuis, intus & foris harent, &
abcondita latent, animam tuam misere
obcæcantia, & ad interitum trahen-
tia

t. Resilire solent in locum securitatis suæ, quicumque ex improviso impugnantur : sic & tu, quondocumque vel contra Humilitatem, vel contra Charitatem, vel contra Castitatem tentaris, sine omni mora non solum tardè redi, sed velociter resili in Veritatum & Obligationum tuarum memoriam, & Miserationis Divinæ implorationem instantissimam.

u. Viribus animæ, & sensibus Corporis tui, interius & exterius ; circà spiritualia, & Corporalia ; occultè & manifestè ; certò & dubiè &c.

w. Dum te seducunt, decipiunt, erroribus, aut dubietatibus involvunt, & ad peccata, ad impenitentiam, ad Consuetudines malas, atque ad damnationem perpetuam trahunt, vel omnino præcipitant &c.

sin : ut vel sic discas , nosse te ipsum .
 Nec tamen , etiam si multum profec-
 sis , ad pravitatis tuae videndum finem
 penetrare valebis ; Adeo pravum est
x. cor hominis & inscrutabile , teste pro-
 pheta Hieremia XVII. Cap.

Ut per Panitentiam purgeris a peccatis.

EXERCITIUM TERTIUM.

Tertio exercebis te in generali *a.* con-
 tritione , confessione & emendatione
b. omnium peccatorum tuorum , deflentis
c. ea ex vero amore Dei , & profundo odio
d. tui ipsius & omnis peccati . Ut autem
 C ad

a. Sub Corde hic intelligitur totus homo , &
 omnis humana impietas , cupiditas , iniquitas &c.
 que insatiabiles sunt , & vel ideo inscrutabiles .

a. Postquam cognovisti Principium & Finem
 tuum in Exercitio primo : in secundo lapsus ,
 & miseras tuas , studere , & laborare debes in
 hoc tertio , ut a culpis , maculis , poenis & mise-
 riis tuis libereris : & sic Primæ creationis tuæ In-
 tentioni coopereris , Deoque similior sis in hac
 vita per fructus dignos penitentiae , in altera per
 felicem participationem glorie .

b. Generalitas ista debet se extenderet ad om-
 nia & singula &c. Ierid detestanda ac deploranda ,
 integrè confitenda , perfectè emendanda , dē die in
 diem , magis ac magis .

c. Odium est profundum , quando intima Cor-
 di contriti & humiliati penetrat .

ad perfectum tui ipsius d. odium pertinere valeas, persuade tibi nullam in mundo creaturam esse, quæ tantam Deo injuriam & contemptum irrogarit, atque tu. e.

Quapropter omni pena & contumelia mundi & inferni te dignum judicabis, pro multis gravibusque peccatis tuis, pro negligentia quoque multiplici & ingratitudine tua. f.

Cujus rei gratia voluntatem tuam adeò obfirmabis in Deo, g. ut paratus sis pati omnem injuriam, contumeliam, irrisiōnem, improperium & vilipensionem, quam omnes creature voluerint aut potuerint tibi inferre. Imò etiam te resignabis b.
ad

d. *Tu iphus*, i. e. omnium inordinatarum concupiscentiarum, passionum, malarumque consuetudinum tuarum &c.

e. Quod tu graviter & multipliciter offendideris Deum, hoc scis: an? & quomodo? alii Deum offendant, nescis: hinc præ omnibus te reum aestimare, & ut talem tractare, tractarique velis oportet.

f. Beneficia tibi & oblata & collata, necnon peccata à te Commissa, vel admissa, si bene Consideraveris, ingratitudinis tue magnitudinem facillime agnosces.

g. Firmissimis, & identidem repetendis, bonis Propositis obfirmatio ista in amore, timore, de honore Dei fieri debet.

h. *Resignatio* ista, ne sit mendax, ingentem contritionem presupponit.

ad sufferendum omnes pœnas inferni *NB.*
pro peccatis tuis.

Et ut ad purum *i.* pro peccatis tuis dolorem pervenias, statue te coram justissimo vultu Dei, bis in die, *k.* cogitans te mortem æternam meruisse, & citè judicium tuum in te pronunciandum esse; sperans nihilominus, per orationem & laborem contritionis, veniam & gratiam apud misericordem Deum invenire: doleasque lamentabiliter, quod summae potestati, sapientiae & bonitati Dei tantam injuriam & contemptum exhibuisti, qui omni honore *l.* & laude dignissimus est: dicens hoc, vel simili modo: *O Domine Deus meus, omnipotens Creatur & redemptor animæ meæ, ecce ego sum peccator ille vilissimus & miserrimus, qui infinitam beatitudinem, sanitatem & charitatem tuam innumerabiliter & gravissime offendi, infinita mala commisi, & bona omisi.* Hinc

C 2 te

NB. Infernus hic, & in similibus textibus summi debet pro purgatorio temporali, non pro reprobatione, & separatione æterna à Visione fruitiva Dei.

- i. Purus dolor ex solo Dei amore oritur.*
- k. Bis in die, nimirum si tempus & occasio appetit, vel etiam frequentius.*
- l. Amore, cultu, obsequio.*

te ipsum severè *m.* discutere , judicare & punire curabis , ne à Domino judiceris : *n.* attendendo qualiter Dominum Deum , fidelissimum Patrem tuum in decem præceptis , & in septem peccatis alienis , & in septem operibus misericordiæ tam spiritualibus , quam corporalibus contempseris *o.* offenderisque .

Denique de omnibus generatim peccatis tuis , & de quolibet speciatum , assumas mœrorem *p.* intimum , & tantum dolorem , quantum delectationis in peccatis persensisti , ex vera contritione & profundo *q.* corde dicentis : *O Domine , obsecro te per sanctissimam Tui conceptionem , nativitatem , conversationem , durissimum laborem , omnem sacratissimam Janguinis tui effusionem ; & acerbissimam mor-*

m. Severe , sine omni excusatione , palliatione , adulacione , deproperatione &c.

*n. Si enim nos ipsos verè , justè , severè di-
judicaverimus , non judicabimur , sed Justificabi-
musr . & Glorificabitur à Domino Dño nostro.*

*o. Vel committeudo , vel omittendo , vel
tepidè ac frigidè ipsa observando & exercendo.*

*p. Luctus , & mœror iste , quem S. Joannes Climacus futius exponit ; non solum intimus de-
bet esse , & actualis ad breve tempus , sed Habi-
tualis , Virtualis , & Continuus.*

q. Profundo , i. e. perfectè Humiliato , tranquillo , & devoto,

EXERCITIUM TERTIUM. 57

mortem tuam , remitte mibi omnia peccata mea &c.

Obscura quoque gloriosam Virginem misericordiae Matrem cum omnibus sanctis , per omnia , quae propter Deum sustinuerunt , ut Deum pro te interpellent , quod & veniam dare cunctis erratis tuis , & ita te in Seipso r. confirmare dignetur , ut nunquam ad peccata redeas.

Enimvero tantum peccatorum odium tibi necessarium est , ut potius mortem obire velis , quam rursus ulli peccato consentire. s. Cave autem ne pusillanimis fias , sed confide t. ingenti misericordiae Dei ,

C ; qui

r. In seipso Deus nos Confirmat , quando ab omni relapsu , inconstantia , & impoenitentia nos liberat.

s. Quia sine temptationibus Carnalibus , & spiritualibus vivere non possumus , sed usque in finem vitæ nostræ certare debemus , & militare , quamvis multa , etiam foedissima & abominabilia sine causa & culpa nostra sentiamus , dummodo nunquam deliberate , i. e. scientes , advertentes , & plenè volentes Consentiamus in cogitationes , commotiones carnis , imaginationes vitiosas , suggestiones diabolicas &c. falsa sunt omnia.

t. Confidentialia ista semper Humilis manere debet , ne in presumptionem superbiam , vel in diffidentiam , pusillanimitatem , aut desperationem degeneret.

qui paratus est in gratiam te recipere , & originali u. puritati restituere , si illi pro modulo tuo satisfeceris pro peccatis tuis.

Secundò offeres *w.* Deo pro peccatis tuis animam tuam & corpus , & quicquid habes , desiderando ea omnia consumere , & quasi in nihilum redigere pro honore Ejus. Et ut efficacius animam tuam totam cum viribus suis Deo immolare valeas , ita e. g. cogitabis : *O Domine , jam nolo deinceps quicquam gestare x.* *in memoria mea , nisi Te Deum , meam originem , in quo ab aeterno fui , & ex quo emanavi : neque aliud cognoscere in intellectu meo , y. quād te solum Deum meum , & omnes creaturas in te ; z. neque*

u. Originalis puritas non summitur hic pro statu Innocentiae Originalis , sed pro Perfecta sanctitate , ac solida Virtute.

w. Oblationes istae saluberrimè fiunt sub , vel ante Missam ; neenon in omni actu Contritionis.

x. Gestamus in memoriam , quod identidem recognitamus : in Corde autem , quod indesinenter amamus.

y. Ab aeterno fuimus in Deo , sicut artefacti Idea est in artifice. Per Creationem emanamus ex Omnipotentia Divina sicut rivulus ex suo fonte.

z. In Deo cognoscimus , & diligimus Creaturas , quando non nisi propter Deum , Eiusque servitium ipsas cognoscere , cogitare , & amare studemus.

que aliud velle aut desiderare in voluntate tua, quam solius gratissimæ voluntatis tuae executionem. Corpus quoque tuum Deo offeres hostiam vivam & perpetuam : *aa.* quemadmodum in veteri testamento sacrificaturi ligna ponebant in altari, & hostiam desuper, supposito igne cremabant in holocaustum : ita & tu in altari cordis *bb.* tui ligna, id est, peccata tua colligas : & hostiam, id est, corpus tuum offeras, quod spiritualiter *cc.* moriatur necesse est : orabisque serventer Dominum in hunc modum : *O Domine, accende holocaustum meum, ut totum comburatur & absuntur in amore tuo, ut tibi grata & accepta hostia fint ad aeternum bonorum tuorum.*

C 4

Of-

aa. *Hostia viva debet esse mortificata, sed non mortua : sic Corpus & anima nostra debent esse mortificatae, & quidem perpetuo, ne unquam prevaleat aliquod peccatum, & ut semper obediamus, placeamus, satisfaciamus, adhaereamus Deo ac Domino nostro.*

bb. *Cor nostrum est Voluntas nostra, haec quasi altars efficitur, si hostias, Sacrificia, Oblationes, & Supplicationes devotas exerceat, & Deo suo offert.*

cc. *Spiritualiter mortificatur, & occiditur Corpus nostrum, quando ab illicitis Coercetur, & concupiscentiae motus, actusque inordinati suffocantur, & quasi absconduntur, circumciduntur, abnegantur &c.*

Offeres etiam Deo temporalem sustentationem *ad*. tui , desiderando rebus huic necessariis non aliter uti , quam ad æternum Dei honorem , & animæ tuæ salutem , nullam in ea tui ipius oblationem *et* . & commoditatem spectans . Quin & desiderabis *ff.* omnibus , si Deo placuerit , necessariis spoliari , pauperque & nudus inveniri , sicut Ipse pauper & egenus fuit .

Tertio pœnam corporalem cum discretione assumes , ex magno amore , juxta magnitudinem peccatorum tuorum : statue ergo te coram cruento *gg.* corpore

dit. *Sustentatio temporalis* hic includit victum , vestitum , habitaculum , suppellectilem , patrimonialia , utensilia &c.

ot. Adiunxit Creator necessitatibus humanis varias delectationes , ut eò facilius conservarentur & multiplicarentur individua , totumque genus Hominum ; verum delectationes propter delectationes querere vel procurare , vel usurpare , magis vel minus , pugnat contrà perfectam Dilectionem ipsius Creatoris , & ideo sunt vel declinanda penitus , vel cum debita moderatione tantum admittendæ .

ff. *Desiderium* istud voluntatem promptam , paratamque saltē includere debet , ne vitietur Amor Dei summè appretiativus .

gg *Discretio* vera priùs intendit arcum , ut sciat , quantum valeant tam animæ , quam Corporis vires : & tunc primùm constituit medium , quod teneatur . Discretio indifferenter , & imprudenter pia & laxa tum sibi , tum aliis , non est virtus , sed vitium vitiorum .

re Christi Jesu in cruce pendente, & undique vulneribus atque doloribus propter peccata tua replete, & in corde dicio : *O Domine, si tuae gratissima placitum esset voluntati, bb. centies me crucifigi permetterem pra peccatis meis. Paratus sum in quolibet articulo corporis mei pati singularem pœnam ad honorem nominis tui &c.*

Hinc propone, quælibet membra *ii.* corporis tui, quibus ad peccatum usus es, de cætero tradere & consumere ad summum Dei honorem : teque ad hoc compellere & urgere, quantumvis durum & molestum tibi fuerit, ut Deo pro peccatis tuis vicem qualecumque reddere valeas in pœnitentia & afflictione, quam Deo unâ cum pœnis & laboribus status tui, in unione *kk.* sanctissimæ passionis suæ, cum multis lachrymis, *ll.*

C *5* si

kk. Tales devotiones circumspectè sunt exercendæ, ne illudatur Deo &c.

ll. Membra alia sunt castiganda, alia cohenda, & honestè tractanda : alia doloribus crucienda, alia ab omni voluptate custodienda &c.

kk. Omnis homo habet crucem suam, ex caufis propriis & alienis, ex infirmitatibus corporis, ex defectibus animæ, ex molestiis hominum, ex tentationibus dœmonum, ex functionibus & obligationibus statutis & officii &c.

ll. Has unire debet cum actionibus, Passionibus, Virtutibus, & Meritis D. N. J. Christi, ut sint magis ac magis meritoria.

si eas habere potueris , quotidie offerre curabis : teque non satis dolere , toto corde dolebis , te ipsum pro meritis tuis sub omnibus hominibus in inferno inferiori collocando , *mm.* eoquod filium Dei rursus crucifixeris , & toties conculcaveris , & sanguinem testamenti , in quo sanctificatus *nn.* es , pollutum duxeris : & spiritui gratiae contumeliam feceris.

Porro , si clarius videre volueris abominationes tuas , sicuti in iustissimo Dei judicio , nisi eas hic deleveris , à te requirentur , matura discussione expende , qualiter , quoties , & quantum offendisti , Dominum Deum tuum circa decem ejus præcepta , duodecim *oo.* consilia Evangelie-

mm. *Collocatio* ista fit per seriam considerationem , & sinceram humiliationem.

nn. Quod *polluitur* , maenatur , & conspurcatur : & nos , cum peccamus , peccatorum maculis quasi polluimus effusum pro nobis Sanguinem D.N.J. Christi , Eiusque effectus , nimirum Enumerationem , & Sanctificationem nostram impeditimus & Confundimus &c.

oo. Consilia ista sunt , Paupertas , Castitas , Obedientia : Dilectio Inimicorum , Mansuetia Patientia , Abundans Misericordiae exhibitio , Non jurare omnino , Fugere omnes peccandi occasions : Intentionem bonam , rectamque frequenter renovare : Evangelicæ Doctrinæ vitam suam conformare : curas inquietas & superfluas evitare & effugare : Proximum fraternè Cogitare.

gelica, duodecim articulos fidei, præcepta & statuta Ecclesiae Catholice, vota & instituta ordinis, status, vocationis & officii tibi iniuncti: septem peccata mortalia, pp. septem dona Spiritus sancti, septem opera misericordiæ, corporalia & spiritualia, novem peccata aliena, septem sacramenta Ecclesiæ, gratias & inspirationes bonas, Incarnationis, passionis, & alia beneficia Dei, donaque naturæ, fortunæ, gratiæ & gloriæ, virtutes theologicas, & morales: per tres potentias animæ tuæ, per quinque sensus & per membra corporis tui, in omni ætate, loco, statu, & officio, in quibus vixisti: cogitatione, locutione, opere, omissione, temporis perditione & ingratitudine, contra Deum, Sanctosque, & Angelos Ejus: Et contra omnes cujuscunque status proximos tuos, videlicet contra justos Dei amicos, infirmos quoque & peccatores, contra benefactores & amicos, contra superiores, æquales & inferiores, vivos & defunctos, animasque purgandas; contra creaturas omnes, & te ipsum quoque, id est, contra animam & corpus tuum: quomodo his omnibus abusus es, in contumeliam Creatoris, in injuriam pro-

xi-

pp. Et Capitalia, que secundum Circumstan-
tias suas jam mortalia sunt, jam venalia &c.

ximi , & in damnationem animæ tuæ
ita ut nullum sit momentum vitæ tuæ,
nec ullum Dei donum aut beneficium,
neque ullum opus bonum , in quo De-
um toto corde pure , ut debueras , qua-
sivisti : quia potius subtili quodam pro-
prii amoris , commodi , voluntatis aut
delectionis veneno illud commaculasti ,
& quasi continuè *qq.* peccasti , toto vitæ
tuæ tempore , saltem omissione , aut im-
perfecta expletione *rr.* omnium , ad quæ
tenebaris , si secundum justitiam suam
Deus judicare velleret , etiamsi commis-
sione *ss.* nihil unquam mali perpetraſ-
ſes.

Igitur dum misericorditer expectat ,
pec-

qq. *Venenum* sua dulcedine decipit & occidit ;
simili modo utilia , honesta , honorifica , &
delectabilia bonam intentionem , & Conforma-
tionem nostræ Voluntatis eum Divina , nisi
summa adhibetur vigilantia , & violentia , *quasi*
Continuò , & in omnibus vitiant &c.

rr. Quia omissiones eorum , quæ possumus ,
& imperfectiones actuæ , affectuum , habituum-
que nostrorum bonorum , & sanctorum omnino
innumerabiles sunt , & quasi incomprehensibiles ,
ac inscrutabiles &c.

ss. *Commissione* evidenter & certò mortali-
um si non peccasti , adhuc multa nimis sunt
dubia , imperfecta , distracta , indevota &c.

prevenias faciem Ejus in confessione *et.*
peccatorum , lavando per singulas noc-
tes ~~est.~~ lectum conscientiae tuæ lachrymis
tuis , ne intret in judicium cum servo
fuo & quia non justificabitur , in con-
spectu ejus , omnis vivens .

Clariorem horum omnium explicati-
onem pete ex libris , *vv.* si non suppetis
memoria .

Vide sahēm profunda considerationē ,
quam ineffabiliter deliqueris tam com-
missione , quam omissione , circa duo
illa præcepta , diliges Dominum Deum
tuum ex toto corde tuo , &c. & proxi-
mum tuum sicut te ipsum : qualiter illa
imperaveris , *xx.* & inde reliqua peccata
tua collige , deplange & emenda , reco-
gi-

tt. Confessione generali remel integrè , &
perfekte absoluta , quotidie universa delicta tua
detesteris , depreceris , & expiare , ac emendare
conceris , necesse est , quin aliquando in repetita
enumeratione singulorum , præfertim Carnalium ,
te occupes .

uu. Per singulas noctis , & temporum , lo-
torum , ac negotiorum tuorum opportunitates ,
quas negligere haudquaquam debet , sed quām
diligentissimè observare .

so. Libri huc servientes sunt sana , sancta
que , Theologorum Compendia .

xx. Qualiter , i. e. ; quām male , illa im-
peraveris . &c.

gitando Deo omnes annos tuos in amaritudine yy. animæ tuæ, donec in te descendere dignetur spiritus adoptionis filiorum, testimonium perhibens spiritui tuo, quod filius sis Dei! audiasque zz. mellifluam ejus vocem, quod verè Deus Pater in te complaceat sibi.

Vanum est enim tibi aliquam consolationem querere, sive ad contemplationem surgere, nisi prius manduca-
veris hunc panem doloris, & in te spiritus adoptionis filiorum delapsus sit.

De

yy. *Amaritudo* ista Careat omni amaritudine vitiosa, & sit Compunctio, Contritio, Luctus, tristitia, qualem describunt sanctus Joannes Climacus, Joannes Cassianus, SS. Paulus & Jacobus &c.

zz. *Auditio* ista non est Corporalis, sed spiritualis, & experimentalis quædam *auditio*, quam D. Thomas Aquinas in gradu 7mo Dilectionis Divinæ fusiùs, clariùs, & suaviùs declarat. Nam *vani*num (arrogans, inutile, & periculosum) est *vobis*, ante *lucem* (Reconciliationis Divinæ) *surgere* (ad Contemplationem, & Consolationem amicitiae familiaris.) Propterea tunc tandem *surgite*, postquam *federitis* (in luctu salutaris tristitiae, & penitentiæ Condignæ) qui *manducatis* (& quotidie gustatis) *panem doloris*, & supernaturalis, perfectæ, perpetuæque *Contritionis*. Psal. 126. Vide S. Joannis Climaci gradum septimum de Luctu.

De mortificatione quinque sensuum.

EXERCITIUM IV.

Quarto te exercebis in crucifigendis & mortificandis i. quinque sensibus tuis, qui valde debilitati a. sunt per lapsum primi parentis, & deinde multò amplius per tua propria peccata, & sensuum tuorum abusiones.

Ut autem reduci possint ad primævam simplicitatem, in qua fuerunt ante lapsum Adæ, necesse est, ut sensus tuos, scilicet visum, auditum, gustum, loquacitatem, odoratum, & tactum, in crucifixâ humanitate Jesu, juxta ejus exemplum, tan-

1. Qui *Crucifixus* eit, non movetur pro libitu & arbitrio suo, sed in Cruce pendens, utque affixus manet, & ab aliis moveri debet: simili modo, qui sensus suos custodire, refrænare, mortificare & Crucifigere studet, eos in Deo, vel in Jesu Christo, hoc eit, in Voluntate Dei, vel in Imitatione Jesu Christi figere, & affigere debet, ut jam nihil nisi Deum, & Jesum sentiant, Eisque serviant, atque adhaerent.

2. *Debilitati* sunt sensus humani, quia in sensibilibus, & materialibus delectantur, & hærent tantopere, ut non nisi magno cum labore ad Divina, spiritualia, superna, Cœlestia & æterna sublevari possint.

ranta vi includas 3. & refrænes , quasi
jam defunctus & mundo totus mortuus
esses : discasque continuè in te ipsum
intrò respicere , sicut hactenus foras re-
spexisti : iradasque te in disciplinam
dulcis Jesu , eligens illum in magistrum ,
& te torum illi ad obediendum in om-
nibus cogens & resignans , ita ut tuum
velle & nolle perfectè à te abjicias , &
Domino Deo , charissimo magistro tuo ,
in omnibus placere & stricte obedire
satagas .

Hinc nihil tibi amplius agere licebit
quantumlibet exiguum , absque Ipsius
permissu . Nam ad quodlibet verbum ,
quod loqui voles : ad quamcumque bu-
cellam , quam sumpturus es : ad quem-
cunque oculi aspeatum , & ad cujasvis
membri sive articuli motibnem ; speciali-
ter licentia cordé 4. ab eo tibi petenda
erit .

3. Qui in aliquo loco se includit , solum
contenta in ipso loco videt , audit , odorattur ,
gustat & tangit : sic etiam ; qui se Convertit
& introvertit ad Jesum in suo Corde præseri-
teti ; & in ipso manere ; seseque includere ni-
titur ; solum Jesum ; Eiusque Mysteria , Verba
& Exempla sentire , Considerare ; & imitari
conatur .

4. Corde sincero petitur licentia ; cum quis ,
plene resignatus ad utrumque , inspicit Jesum , vel
Imaginem Eius , & remorsum nullum petitur in
resolutione sit .

Quam si intus teste conscientia , se ipsum non querente , obtinueris , tum demum licebit id agere vel dicere , alias non. Necessaria quoque & debita opera tua , licet de se nota sint Deo placere , singula tamen nova intentione ad laudem Dei peragas & offeras , in unione sanctissimorum operum & meritorum suorum , ad salutem omnium hominum. Inter dicendum autem vel agendum aliquid foris , continuè uno oculo s. respicias intus te ipsum , advertasque , quando tacendum aut cessandum fuerit , ut tunc statim taceas , & cesses. Quapropter aspuescas continuè aut omni hora , Deum medullitus & ferventer obsecrare per seipsum , & per omnes perfectiones & miserationes , quæ in ipso sunt , immo quæ Ipse est , & per sanctam humanitatem suam , & per sanctos quinque sensus suos , qui tam fortiter 6. obediebant rationi , & ab anima sua absorpti , 7. & durissimis

D. pœ-

5. Uno oculo , i. e. , reflexa quadam rogatione , & consideratione semper , & ubique examines omnes intentiones , affectiones , verba , & opera tua &c.

6. Fortiter obediunt Rationi sensus externi , & interni , si nulla tentatione , vel tribulatione distrahitur , evagantur , perturbantur &c.

7. Quod absorbetur , ab absorbente tenetur , trahitur , ducitur , & mergitur : sic Anima Christi sensus omnes in Contemplatione , & Dilectione Dei Patris elevatos , & immersos continebat semper , in ipsa Passione & Morte sua.

pœnis pro salute nostra afflicti 8. erant,
 quasi sensus non habuisset , ut sensualita-
 tem tuam , quam habuisti , habes , &
 habere poteris , absorbere 9. dignetur in
 merita sanctissimorum sensuum suorum :
 sensusque tuos ita absorbere , 10. unire
 & sanctificare 11. in sanctissima anima
 sua , quasi sensus non haberet , qui sen-
 sualitati locum 12. dare possent . Et in
 hac inclusione & unione ita cruci affixus
 maneas in Domino Jesu , ut nunquam in-
 de egrediaris , 13. ambulans reverenter
 honestis & maturis moribus & gestibus
 corporis & sensuum , semper & ubique
 in conspectu Dei præsentis.

Et

8. Ut sensuum nostrorum peccata expiaret ,
 durissimis pœnis eos affigi voluit Jesus.

9. *Sensualitas* nostra dupliciter absorbetur ,
 quoad pœnam ei debitam per Merita D. N. Jesu
 Christi &

10. Quoad *culpam* , culpabilemque usum , li-
 centiam , & oblectationem suam per Imitationem
 Eiusdem D. N. J. Christi , per quam

11. *Uniuntur* , conformantur , reformatur ,
 recolliguntur , &

12. Castificantur , atque sanctificantur omnes
 actus ipsorum in tantum .

Ut *sensualitas* , i. e. , curiositas , & vo-
 luptas , evagatio , distractio , & delectatio
 sensualis jam locum nullum habeat , nempe vo-
 luntaria , & cui Ratio consentiat , vel morose
 iammoretur .

13. Egre-

Et omni custodia Dominum Deum tuum , & quinque sensus tuos , cum tota anima tua custodias : sive agas , ut putas te nihil videre , audire , sentire , olfaccere , gustare , tangere , edere vel bibere , nisi Dominum Deum tuum ; & in omnibus pure Deum , & non te ipsum queras ; & creaturis propter Deum & in Deo , cum timore & reverentia , utaris.

Et curam tui ipsius & omnium rerum in omni etiam necessitate & periculo , cum plena fiducia , in ipsius fidelissimam providentiam jactes , qui omnia suaviter disponet & pugnabit pro te , reputesque omnia creata extrà Deum , penitus esse nihil,

Et sic recipies mirabiles illuminationes & influxus 14. à Deo tuo , si pro illius amore te ipsum & omnia perfecte cru-

D 2

ci-

13. *Egrediens de cubiculo relinquit ipsum :*
familiariter egrediens de Consideratione , Imitatione ,
& Dilectione Jesu Christi reliquit ipsum , &
vel distrahitur , & elongatur ab Ipso per peccata venialia , vel omnino separatur per peccatum aliquod mortale , quasi profugus , & vagus super terram , & terrenis inhians , atque inhærens.

14. *Illuminationes mirabiles sunt inexpectatæ ,*
jam plures , jam clariores intelligentiæ , jam no-
væ , jam antiquæ , & vel renovatæ , vel am-
plificatæ & illustratæ cognitiones , scientiæ , &
se

cifigere , & relinquere 15. non dubitatis.

Istud exercitium est fundamentum spiritualis vitæ , quod oportet valde diu exercere , donec assuecas te ipsum in omnibus vincere & abnegare ; 16. teque & Deum observare & custodire , 17. cum non

sapientiae. *Influxus* autem sunt Affictus Divini timoris , Amorisque magis ac magis Communicati , sicut rivulis se Communicat fons perennis. Propter plures & ciariiores Cognitiones serum Divinarum , & spiritualium ; necnon propter Virtutes , quæ jam addiscuntur , & exercentur. Vita ista Proficiens in spiritu vocatur illuminativa Via , ducens , & perducens usque ab Amorem Dei perfectum.

15. Te ipsum , & omnia Creatæ ; præsertim ad te pertinentia ; crucifigere , i. e. vilipendere , & in omnibus te Crucifixo conformem facere : abnegare , i. e. , tefrenare & concupiscentiis inordinatis negare : & relinquere , ac Divinitas Providentiae cum plenissima Resignatione penitus committere studeas , satagas , & gaudeas.

16. Ut in omnibus & per omnia Deo placeamus , in omnibus & singulis actibus , motibus , & moribus , cognitionibus , studiis , desideriis , amoribus & cogitationibus , præsertim in bonis intentionibus nostris curare debemus , ne subrepat amor proprius , aut prævaleat iam homo , jam caro , jam diabolus.

17. Hinc indefinenter , & summa cum diligentia vigilare , ac laborare debemus , ne vel in minimo Dei voluntatem negligamus audire , ac adimplere : aut minimam irreverentiam erga Deum Committamus.

EXERCITIUM QUINTUM 53

non sit major labor, quam Deum, 18.
ejusque voluntatem, gratiam ac placitum
perpetuam observare.

DE VIA ILLUMINATIVA.

Ut tres anima vires reformes.

EXERCITIUM: V.

Quinto exerce te in profunda & omni-
nimoda circumcidione 1. reformatio-
ne 2. & mortificatione 3. virium ani-
mat tuæ, videlicet intellectus, volunta-
tis, & memoriae, quæ valde debilitate

D. 3

4.

18. *Labor*. ingens requiritur, si in sullo,
nec parvo, nec magno, Deum offendere vo-
lamus.

1. Arboribus pretiosis abscinduntur rami su-
perficii, inutiles, & perniciosi fructibus: sic &
nos abscindere, & circumcidere debemus Intellec-
tu nostro curiositates, & etrores: Voluntas
inordinatos amores & timores; Memoriae vitiosas
& otiosas cogitationes &c. Ut

2. Reformiemus vires istas ad cognitionem,
Dilectionem, & indeclinentem Memoriam Dei.

3. Mortuum semetipsum movere non potest,
sed ab alio moveri debet: sic & nos non se-
cundum concupiscentias, aut malas confuetudi-
nes nostras, sed secundum solam Voluntatem
Divinam moveri debemus in omnibus; nam
qui Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei.

4. & corruptæ s. sunt per lapsum primi parentis : à quo posteaquam per mortem Filii Dei Jesu Christi redempti sumus , eas rursus à Deo ab alienavimus per nostra propria & actualia peccata.

Ut autem restitui possint in gradum pristinum , in quem Dominus noster Jesus Christus eas reduxit , & cujus gratia animæ ab initio donatae fuere , necesse est , ut Deum contiuè toto corde obsecrare , firmaque cum fiducia pulsare non cesses , ut per merita sanctissimorum virium benedictæ & crucifixæ humanitatis suæ purificare , reformatre , regere & illuminare dignetur vires animæ tuæ , ut stabili cognitione , amore & cogitatione semper fluere 6. possis in Deum , & omnia alia cognoscere , illisque uti in Deo.

Ut

4. Debilitatæ sunt Vires animæ nostræ , quia per visibilia , & sensibilia non ascendunt ad Deum , sed jacent in tenebris , & deordinationibus suis.

5. *Corruptio Virium* facit nos libentius , & Communius , & diuturnius cogitare , considerare amare , & curare terrena , mundana , & carnalia , quam Divina , Cœlestia , & spiritualia.

6. Quod fluit , sine dissolutione , & sine intermissione sese diffundit : sic cognitiones & considerationes , amoris actus , & recogitationes nostræ uno motu , uno fluxu , si non actualites semper , saltem Virtualiter , & ex stabilito Habituo in Deum tendere , & effluere debent.

Ut autem id muneris obtineas, intellectus tuus multo & continuo tibi labore acueradus est, ad intelligendum sublimiter & profunde, 7. quid Deus sit, & habeat.

Cumque hoc pacto cognoveris esse
Eum optimum, nobilissimum, sanctissi-
mum, tum accedens voluntas amare
conabitur eum, quem optimum intel-
ligentia sua deprehendit.

Sed voluntatem ipsam circumcidere, abstrahere & crucifigere oportebit ab omnibus extra Deum, ut Deum solum toto & nudo corde diligas & desideres, ceteraque omnia propter Deum & in Deo.

Deinde voluntatem tuam fertissima
unione adeò divinæ conformabis volun-
tati , ut si illi placaret , infernum in te
creare , aut in inferno te ponere , para-
D 4 tum

D 4

2
tum

7. *Sublimiter* intelliguntur, quorum sublimes, & subtiles qualitates, proprietates, & naturae cognoscuntur: & *Profundè*, i. e., non superficialiter tantum, sed solidè, clare, distincte. *NB.* In Deo, quia Ens simplicissimum est & Perfectissimum, idem est *esse*, & *habere*. Sic habet e. g. sapientiam, & est sapientia &c.

tum te exhibeas pro sua æterna gloriæ & honore , tuisque peccatis , ad sufferendum illum per suam gratiam.

Tertio , memoriam tuam expediæ atque idoneam reddes ad fruendum in ea in æternum Domino Deo tuo , absque omni medio : Hæc enim instar thalami munda & servanda est ab omnibus imaginibus 8. & extraneis cogitationibus & ornanda virtutibus crucifixæ vitæ Christi , ut Deus in ea perpetuò & indesinenter valeat quiescere , quoties , & quando , & quamdiu visum ipsi erit.

Hinc eadem ipsa assuefacienda est amorosis iisdemque perpetuis ferè desideriis & affectionibus sanctis erga Dominum Deum suum , ut ipse solus purè in

8. In lecto sordido nullus dormire , & quiescere solet : sic in Memoria variis peccaminosis cogitationibus , & imaginationibus , quæ sunt

9. Imagines & picturæ quædam , distracta , turbata , inquinata , & inquieta Deus nec habere , nec manere , & quiescere potest. Hæc enim sunt media , fane intermedia , quæ Amorem , unionem , & familiaritatem Dei cum anima , & animæ cum Deo impediunt.

in ea , & ipsa in solo Deo suo , nudè 10.
Semper includi ac circumferri queat.

Cæterum , in hoc exercitio diutius
versaberis , Deum tuum pro auxilio ,
ut dixi , frequentius obsecrando. Id
ipsum quoque per sacratissimas glorioſae
Virginis Matris vires & Sanctorum me-
rita , devote efflagitabis.

Quod si tam cito non impetraveris ,
(quum aliqui homines sint naturæ vi-
cosæ 11. atque tenacis , & phantasmati-
bus deditæ) noli tædio vinci , noli ces-
sare : tantummodo persevera , & Do-
mino fortiter confide , qui nusquam de-
seruit sperantes in se , quia summè bo-
nus est : qui & in simplicitate cordis 12.

Dicitus me-

10. *Nudum omni vestimendo caret ; Deus*
nudè est , & servatur in Memoria animæ , vel
potius in ipsa anima , quando sine omni alia
Creatura manet in ea : & anima nudè est in
Deo , si ab omni amore alicuius rei Creatæ , &
sine omni Cogitatione distrahente , sine omni
etiam iæquietudine adhæret Ei , ubicumque fuerit ,
& quocumque faciat.

11. In *Viscosis* omnia hæcere solent , ut
svelti vix possint : sic multi homines Amoribus ,
distraktionibus , vel aliis Passionibus , & imagi-
nationibus sunt tam obnoxii , ut eas superare ,
vel expellere non nisi difficillimè queant.

12. *Simplex* non est multiplex , varium , &
diversis intentionibus , affectionibus , occupationi-
bus involutum : sic *Cor simplex* simpliciter in
omnibus , & per omnia soli Deo intendit , atten-
dit . obedit , placere satagit , ut *Euna* inveniat ,
possido atque .

melius invenitur , quia unus est : qui etiam per amorem & sancta desideria citius obtinetur , quia Deus ipse amor infinitus est.

De XII. mortificationibus. I.

EXERCITIUM VI.

Sexto exercebis te in plena 2. mortificatione & abnegatione omnium , quæ tibi aliquod impedimentum vel obstaculum præbere possunt , quo minus approximques & amorosè conjungaris 3. ac uniaris Deo , hoc est , omnium quæ Deus non est , non vult , neque amat : quæ satis explicantur per D. Henricum Harphium in XII. mortificationibus suis ,
quas

1. Ut Virtutes omnes faciliùs , velocius , perfectius , & securius acquirantur , exerceantur , & Custodiantur , earum impedimenta removeri , inordinata concupiscentia refrænari , & Passionum humanarum , membrorum , sensuumque omnium nimia , & peccaminosa vivacula restringi , mortificari , atque in ordinem Sanctæ Charitatis redigi debent . Et quidem

2. Plenè , perfectèque usque in finem , alias nulla virtus solida , & perfecta obtineri , aut conservari poterit .

3. Approximationem , & Unionem Intellectus , Voluntatis , & Memoriæ nostræ ad Deum , & Cum Deo impediunt 1. Temporalia , & terrena : 2. Commoditates , & 3. Sensualitates propriæ : 4. Amores

Ho-

quas ipsas quoque in fine Opusculi hujus appositas reperies, in quibus meditando & orando te diligenter exercebis, attendendo circa quaslibet sanctissimum exemplar crucifixi Jesu, illudque cordi tuo imprimendo, 4. quousque inferiores animæ tuæ vires nullum de cætero impedimentum 5. præstent superioribus, quo liberius fluere possint ad Deum, & in Deum.

Harum prima est perfecta mortificatio omnis affectus, solicitudinis & amoris ad res caducas & fragiles, ut eas quieto corde resignare noveris in Dei bereplacitum, sive eas dederit, sive abstulerit: ut non desideres illa retinere, aut erogare, nisi purè ad Dei honorem: imo &

Hominum : 5. Cogitationum turbæ : 6. Tumultus curarum : 7. Amaritudines cordis : 8. Vanæ gloriæ : 9. Obleftationes internæ : 10. anxie & inquietæ Scrupulositates : 11. Impatientiæ : & 12. Propriæ voluntates nostræ.

4. *Cordi* nostro *imprimitur*, quod firmiter in eius memoria, amore, Meditatione ac Imitatione permanet :

5. Donec per frequentatos affus in *Habitu* transeat, & jam sine difficultate, imò cum facilitate, & jucunditate exerceri queat, solētque.

Inferiores animæ vires sunt Passiones Humanæ, sensus interni &c. eorumque malæ consuetudines & Inclinationes.

& omnia optabis relinquere , ut cor tu-
um imperturbatum ac nudum , Deo
semper valeas offerre , & inter quosvis
casus , secundum superiorem saltem ra-
tionem , quietus permanere .

Hinc non solum superfua quæque
& curiosa tibi sunt abjicienda : sed eti-
am in his , quæ tibi necessaria videntur ,
nullo affectu requiescere licebit , si no-
les esse proprietarius 6. coram Deo :
Imo ipsa etiam naturæ necessaria cum
tædio & nausea suscipere conaberis , ut
eo melius pauperi Christo conformari ,
& intra nuda ipsius brachia evolare
queas .

Secunda est mortificatio omnium af-
fectuum propriæ quæsitionis , qua mul-
ti seipso nimis amant , & in omnibus
bonis , quæ agunt , ac malis , quæ vi-
tant , ex servili amore suam spectant
& aucupantur utilitatem , consolationem
& honorem , tam in externis , quam in-
ternis Dei donis & bonis : suum quo-
que damnum , confusionem & puni ionem
evadere quærunt , tam in præsenti sæcu-
lo , quam in futuro :

Sua

6. *Proprietarius* est , qui utilitatem , volup-
tatem , & voluntatem sibi soli Convenientem ,
& placentem in aliquo , vel ex aliquo desiderat ,
in eaque iacetatur , & gloriatur .

Sua quoquè opera & exercitia repudiat magna , caduntque ex donis Dei in superbiam , avaritiam , & gulam ipsius-
talem . 7.

Verum contra hæc gravissima pericula , studebis ex filiali amore , cum intentione recta , in omnibus Dei honorem , gratiam & beneplacitum pure querere .

Et cum intentione simplici institueret diriger & referre opera tua ad placendum , & fruendum Deo semper , quietendumque in eo cum omnibus viribus tuis , absque multiplicitate , & in amore

fo

7. *Superbia spiritualis* vane latetur , gloriatur , sed que super alios exaltat propter Dóna Dei .

Avaritia semper plura desiderat , non ut Deo perfectius serviat , sed ut in pluribus abundare queat .

Gula abutitur huiusmodi donis usque ad ebrietatem spiritus , sicut ebrii cibo , potuque superfluo abuti solent .

Tedium & nausea ista non Corporalis , sed tationalis esse debet , quia per talia impedimur a Spiritualibus , & assimilamur iumentis &c.

Intra nuda Christi brachia evolat de terrenis ad Divina , qui summam Paupertatem Eius , Ipso adiuoante , ac protegente , imitatur pro fatione statu & officii sui .

8. *Multiplicitas* ista opponitur Simplicitati Sanctæ , & supra jam explicatae .

so quodam effluxu , 9. & amanti inclinatione interni spiritus in Deum , cum illuminata divina cognitione , fide , spe & charitate : quandoquidem hoc est fundamentum vitæ spiritualis.

Intentione quoque *deiformi* studebis etiam occultam consolationem spiritus non querere , sed omnem derelictionem & adversitatem desiderare , ut unum cum Deo fieri , ipsoque Deo cum Deo perfungi meraris.

Tertia est mortificatio omnium affectuum propriæ sensualitatis , ultra rationabilem necessitatem , in delectatione cibi , potus , vestium , & aliarum rerum : in voluptate cogitationum , verborum , gestuum , & fabulationum cum hominibus , ex sensuali amore : in appetitu habendi curiosa , videndi pulchra , audiendi nova , & fruendi ubique sensuum vanitate.

Hæc & omnia naturæ solatia mortificabis per plenam aversionem ab omnibus , in quibus sensualitas solet quietescere , 10. quia devotionem & spirituallia

9. *Effluxus* iste est *Continuatio* quædam actuum Divini Amoris.

10. *Quies* sensualitatis est delectatio sensuum , quæ ad Deum non ordinatur : & *fruitio* quædam rerum Creatorum per visum , auditum , gustum , odoratum , vel tactum .

lia exercitia insipida reddunt & difficultia: cavebisque tota virtute , ne aliquem affectum ad quodvis solatium vel peccatum , licet minimum , in corde retineas , quem non funditus extirpare coneris.

Ita enim expedit , ut sensualitas simpliciter moriatur , ne tota congeries bonorum operum pessumeat.

Quarta est mortificatio omnis affectus amoris *sæcularis* , qui ut hominibus placeat , & ab illis commodum vel honorem accipiat , seu ut illis non displiceat , nequè ab illis confusionem aut damnum sustineat , multa admittit seu admittere paratus est vitia & peccata , & plura facit virtutum opera : & amoris *naturalis* ad consanguineos : & *acquisiti* amoris ad amicos , pro eorum beneficiis : ita ut sine personarum acceptione , in omnibus hominibus , etiam in hostibus tuis , solum Deum , Deique imaginem , gratiam , & virtutes pure diligas , & nullius vitia palpes , ames aut dissimules : sed omnium salutem toto corde sitias.

Omnem quoque *inordinatum* amorem , qui tibi inquietudinem , distractiōnem & desiderium ad alicujus hominis
præ-

præsentiam vel amicitiam habendam
generat, & cor tuum imaginibus depin-
git, 11. præsertim tempore orationis,
aut quando te ad Deum convertis, tan-
quam venenum 12. divini amoris, cor
tuum maculans & inficiens, penitus
enecabis, solum Deum amando, & ejus
amore omnibus creaturis renunciando,
ut divina imagine depingaris, 13. ejus-
que amore sursum traharis, & in ejus
abyssō absorbearis.

Quin-

11. Quod in materialibus fit per materialia,
hoc in spiritualibus fit per Cogitationes, Imagina-
tiones, & adhæsiones animæ Rationalis, quæ
quasi imagines, & picturas proponit fibi. vel proponi
sibi sentit à suggestionibus & illusionibus diabol-
licis, aut phantasticis, vel sua sponte, vel sponte Con-
acte, vel prorsus involuntariè, nempe innumer-
tas Cogitationes, imaginationes, distractiones,
tristitias, affectuūmque Contrariorum irritationes.

12. *Venenum* dulcedine suā inficit, aut om-
nino occidit hominem; & amor alicius homi-
nis inordinatus enecat, aut vulnerat amorem
Dei &c.

Verè *abyssus* incomprehensibilis est Deus,
quis infinitus in omnibus Perfectionibus suis est,
& exhaustiri nunquam potest.

13. *Divinia imaginē depigi* est per omnia,
& in omnibus Amore, Cognitione, & Memo-
riâ Dei adimpleri.

Nam ex amore ad recognoscendum, reme-
morandum, & reemandum e. g. Patrem nostrum,
variis, sed veris & adæquate similibus colori-
bus, colorūmque mixturiis adimplem̄us lūtūtū,
vel lignūtū & pingimus eius imaginem.

Quinta est mortificatio omnis affectus & societatis rerum creatarum & cogitationum *inanum*, quæ homini multipliciter incidere solent, ex defectu fervoris, instar maris fluctuantis, licet affectui non inhæreant: cogitationum quoque *noxiarum*, quæ cum oblectatione sensuali intrò admittuntur, quæ licet ad consensum peccati mortalis non perveniant, cor tamen maculant, Spiritum sanctum contristant, & ingens animo damnum inferunt.

Porrò tam istæ, quam priores cogitationes, ex nostra oriuntur incuria & immortificatione, eoquòd cor nostrum non studemus ad sanctas cogitationes etiam vi quadam cogere, sed illud ad superflua & noxia permittimus evagari, non curantes tempus fructuose deducere.

Ideoque dum nos introvertere volumus, cor innumeris distractionibus invenimus oneratum, quæ nostrum profectum dissipant.

Non solum igitur has, quas prædiximus, sed etiam licitas quasdam cogitationes sive de temporali cura, sive de scrupulis conscientiae, sive de secretis & curiosis perscrutationibus, abscindere oportet per

impressionem 14. imaginis Jesu in cruce pendentis , eiusque profundissimæ humilitatis , paupertatis , mansuetudinis & omnium virtutum in exteriori homine : & imaginis infinitæ charitatis eius , qua omnia creavit , & te sic redemit , in interiori homine tuo , ut cogitationes tuæ transcant in affectiones , & cognitio in amorem. 15.

Etenim amor operatur mortificatio nem naturæ , vitam spiritus , operationem superiorum virium , influxum in Deum , & secessum ab omni creatura.

Facies quoque affectuosam conversionem ad omnimodam solitudinem , non tantum secundum corpus , sed multo amplius

14. Impressio , i. e. , assidua recognitio & imitatio D. N. J. Christi abscondit , & excludit omnes alienas cogitationes &c.

15. Verus amor Dei in ordinem virtutis reddit naturalitatem : renovat & sublevat Spiritum animæ ; exercet in Dilectione Divinorum voluntatem , intellectum & Memoriam : adducit , inducit , & intrat in Dei cognitionem , Dilectionemque perfectiorem : & elongat ac separat ab omni illicito , & immoderato amore cuiuslibet creature &c.

Solitudo in - & ex - terior : Silentium verborum & cogitationum : Custodia intentionum , affectionumque sunt initia , incrementa , & præsidia Virtutum omnium.

EXERCITIUM SEXTUM. 67

plus secundum cor & affectiones, 16. &
ad simplicem cordis quietem, quae maxi-
mè nutrit amorem in Deum effluxum.

Nam solitudo, silentium, & arcta
cordis custodia, sunt fundamentum pro-
ficientis vitae.

Sexta est mortificatio omnis *cura*,
qua non est de justa necessitate, utilitate
aut obedientia : omnium quoque *passio-*
nrum, immoderate laetitiae, tristitiae, spei,
timoris, amoris, odii, & pudoris, ut nihil
extra Deum in corde tuo quiescat, & om-
nia externa opera tua & occupationes,
quas à te postulat necessitas, absque mul-
tiplicitate & solicitudine cordis perficias,
cum resignato & elevato intellectu & af-
fectu in Deum.

Enitnvero per distrahentem occupa-
tionem cordis etiam in licitis, obscuratur
E 2 17.

16. *Solitudo corporalis* non habet aliquem
socium in suo habitaculo, vel contubecto : so-
litudo autem animæ interior, vel spiritualis
non habet Cogitationes, distractiones, vel af-
fectiones, quæ soli Deo intentæ, ac nuneupa-
to non sint &c. quo simplicius, sine omni
aliо, recognitur Deus, et frumentis, & do-
votis amator deo,

17. intellectus & trespicit affectus, ut omne spirituale exercitium tibi desipiat, & inferiores vires, orationis tempore, colligere vix aut a grè tantum possit.

Quapropter si vis omnes tentationes faciliter vincere, stude omni tempore potius interno amoris exercitio, quam exteris virtutum operibus.

Ad quod tamen nemo pervenire potest, nisi affectus eius expeditus sit ab omni re infra Deum existente, & adeo in Deum raptus, ut se ipsum contemneret sciat in omnibus propter amorem Dei.

Nam purus amor facit spiritum purum, simplicem, & ab omnibus liberum, ut sine labore sese recipere possit in Deum.

Ubi

17. Obscuratur Cœlum, quando nubes vel exoriuntur, vel condensantur, vel condensata manent: sic etiam obscuratur anima nostra, quando cogitationes, affectiones, passiones variae irruunt, sese multiplicant, prevalent, & perseverant.

Quod Corpori est oculus, hoc animæ est memoria: intuitus corporalis est actus oculi materialis, intuitus animæ est cogitatio, vel recordatio memorie. Similiter Cor in corpore est Principium, à quo oriuntur omnes alii motus sanguinis: Et Voluntas in anima est Principium, à quo exoriuntur omnes affectiones Amoris, odii &c,

Ubi namque amor , ibi est oculus memoriae , & cor affectus : Cogitatio mimirum & affectio.

Septima est mortificatio omnis *amaritudinis* 18. cordis , quæ variis ex causis oriri solet.

Primo ex præsumptione 19. propriorum meritorum , qua nonnulli proni fiunt ad temerè judicandum & aspernandum ceteros , falsa justitia pleni , quæ indignationem parit , non compassionem.

Secundo ex immortificatis desideriis , quæ inflammant eos ad murmurandum contra superiores suos , & alios , qui eorum vitiis non acquiescunt , sed resistunt.

Tertio ex rancore & odio propter aliquas præcedentes offensiones , propter quasi facta illorum , quos odiunt , pervertere cupiunt , & invenire in illis , quod vituperent.

E 3. Quar-

18. *Amaritudo cordis* consurgit ex cogitationibus , passionibus , affectionibus , & evenitibus , qui contristant : & consistit in quadam tristitia , iracundia , invidia , & impatientia , quæ animæ tranquillitatem , & perfectæ Charitatis suavitatem perturbant.

19. *Præsumptio* præ aliis se extollit ex falsa imaginatione , & estimatione sui ipsius , suorumque talentorum , verborum , operum &c.

Quarto ex invidia , qua alienas virtutes , quibus iphi carent , extinguere vel obscurare querunt , ut illis preferri aut aquari possint.

Quinto ex mala & exasperata conscientia , qua instar basilisci alios lacerare cupiunt , & secum ad peccata trahere illos , quibus gratiam Dei invident ; & ex malitia , qua ipsi pleni sunt , omnia in peccatum interpretantur , & peccant in Spiritum sanctum.

Has & omnes alias amaritudines tam perfectè vinci & consumi necesse est in suavitate 20. divini amoris , ut etiam persecutores & inimicos nostros tam pleno cordis amplectamur affectu , ac si nostri optimi forent amici , ut & revera sunt , quandoquidem ad grandia nos merita perducunt.

OCTAVA est mortificatio omnium affectuum , vanæ gloriae , propriæ complacencie

20. *Suavitas amoris excludit omnem indignationem , pravam suspicionem , malam fidem , asperitatem verborum , iracundiam , invidiam , impatientiam , & fructus omnes sancti Spiritus in se continet.*

S. Franciscus Salesius difficiliorem , & rarer dicit perfectam suavitatem Charitatis , quam perfectam integritatem Castitatis.

entiae, honoris atque superbie, de te
info, de tuis verbis & operibus, de gratia
& donis, idque per claram cognitionem
te vilitatis, & desiderium omnis con-
temptus, si. ut soli Deo placere possis.

Hinc omnia bona soli divinae gratiae,
filiali fidelitate adscribes, reputans te
omnibus indignum, & cunctis viventibus
viliorem, primò propter magnitudinem,
turpitudinem, multitudinem peccatorum
tuorum & ingratitudinis tuæ.

Secundò propter infinita peccata, in
quæ incidisses, nisi sola Dei misericordia
preservasset.

Tertiò quia non est peccator in mun-
do, qui, si tantas gratias & occasiones be-
nefaciendi habuisset, ut tu, non fidelius
Deo servisset quam tu.

Sicque Dea, cuius est omne bonum,
eris gratus ex una parte, & te ipsum
valde humiliabis ex altera.

E 4

His

si. Desiderium omnis contemptus si in pra-
paratione animi habeatur, sufficit: illis autem,
qui fama suâ prodefit, ac prasse debent, non
semper convenit. His sufficit, si contemptus,
desolationes, derelictiones, irrisiones, & per-
secutiones sibi accidentes humiliter, & longani-
ter, ac magnanimitate sustinere ac superare soleant.

His bene expensis , secunde loco desiderabis toto corde ab omnibus contempti , illudi , conculcari , & omnem confusionem ex amore Dei pleno cum affectu suscipes : Quia haec est via compendiosa ad maxima 22. merita , quam tamen paucissimi ingredi volunt .

Nona est mortificatio omnium oblationum internalium , spiritualium & sensualium , in gratia , devotione , dilectione & dulcedine sensibili , in viribus inferioribus 23. animæ : quæ quidem non sunt vera sanctitas vel charitas , sed sunt quædam Dei dona , nobis ut fortius moriamur , non ut in illis quiescamus , in subsidium infirmitatis nostræ data .

Por-

22. Per aliorum irrfiones , & vilipensiones subministratur nobis materia addiscendæ , acquirendæ & exercendæ Humilitatis , & congregandorum multorum Meritorum occasio : hinc subministrantibus gratias agere deberemus , sicut e. g. Artifices gratias agunt illis , qui eis ad uberiorem mercedem labores plurimos offerunt & accumulant &c.

23. Devotione , & dulcedo sensibilis est in viribus inferioribus (nunquam in membris inferioribus aut superioribus) quando faciliter , & suaviter , sine labore , angustia , & diffidentia , vel tristitia , orare , Cantare , legere , laborare , studere &c. possumus .

Porrò quantum tibi ipsi in istis duodecim punctis morieris., 24. tantum habebis veri amoris, nec quicquam amplius.

Imò omnia, quæ à Deo desiderare potes, nec refers ad nudam 25. tui mortificationem propter amorem Dei, permista sunt cum natura, se ipsam 26. ferè in omnibus, etiam in Deo & in divinis, quærente adeò subtiliter, ut repulsa ab una parte, mox occultè revertatur ad alteram, priusquam id ipsi comprehendere valeamus.

Et ideo paucissimi se 27. ipsos vere cognoscunt, & perfecte evincunt.

E 5

Dein-

24. Quantum hæc Puncta verè intellexeris, & bene observaveris, tantum tibi, tuisque in ordinationibus & peccatis morieris : & tantum veri, perfectique amoris habebis.

25. Nuda, hic est sola & totalis emendatio, mortificatio &c.

26. Seipsum, i. e., aliquam sui ipsius utilitatem, voluptatem, commoditatem, Gloriolam &c.

27. Qui seipso verè Cognoscere volunt, non solum omnes cogitationes, locutiones, operationes, & omissiones suas diligenter examinare debent, sed & intentiones affectionesque intimas, Passiones humanas, sensus & membra singula, eorumque motus, & actus & effectus universos, i. e. g. cur gaudeo, cur tristor, cur fredo &c. &c.

Deinde secundū loco morieris 28. omni curiosae investigationi, speculationi, cognitioni, & visioni 29. intellectus, in rebus & scientiis tum divinis, tum humanis, in quibus miserè tempus & laborem suum multi perduant, semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis 30. pervenientes: quum vita perfectè Christianæ, nos in alta scientia, sed in profunda humilitate, sancta simplicitate, & ardenti amore Dei fundetur, quo semper anhelare debemus ad moriendum nobis 31. in omni derelictione, ut Deo perfectè uniri, & ab illo absorberi 32. valeamus.

Dec.

28. *Morieris*, i. e., Coercēbis, abnegabis, & Voluntati Divinæ subordinabis omnem Curiositatem tuam &c.

29. *Visio* hīc sumi potest vel pro ordinaria & clariori scientia, vel pro extraordinariis favoribus.

30. Nimis multi malta sciunt, & discunt vel docent etiam, nec tamen salvantur, aut sanctificantur, imò salutis & Sanctitatis veras scientiam vel negligunt, vel contemnunt, vel sibi meti p̄s non applicant.

31. Ad moriendum nobis i. e., ad vincendum & subiugandum omnes inordinationes, & malas inclinationes, vel consuetudines nostras.

32. *Absorbemur* à Deo, quando in Eius dilectione, & protectione quasi includimur, & contra hostes tam visibles, quam invisibiles custodimur.

Decima est mortificatio omnis *scrupulositatis* cordis , per plenam confidentiam 33. erga divinam bonitatem.

Hæc scrupulositas interdum vexat nonnullos propter inordinatum amorem sui , quo magis timent Dei vindictam , infernum & justitiam , quam ament Ejus bonitatem : Et ideo ex servili timore sua cuncta agunt bona , & vitant mala.

Quapropter non emendant fideliter defectus suos , ob quorum aculeos & remorsus anguntur , nec Deo plene confidere possunt.

Cum enim amor eorum ad Deum modicus sit , parvam generat confidentiam : sicut ediverso amor magnus magnam parit fiduciam.

O beata spes , dummodo ex ea non tepefas , 34. sed ad majorem tui mortificationem , & omnium adversitatum tolerantiam & gratitudinem exciteris.

**Undecima est mortificatio omnis *im-
pa-***

33. *Plena & perfecta Confidentia* excludit sicut præsumptionem , sic & desperationem : proptera supponit fidelem Poenitentiam , vel Innocentiam : illa debet esse integra & condigna ; hæc autem vera & sancta .

34. Aut in præsumptionem , falsaque se-
curitatem Cadas ;

patientia cordis , in omni externa adverfitate , infamia , derisione , contumelia , damno rerum ; infirmitate & pena corporis ; persecutione & derelictione mentis , quæ tibi permissione divina accidere possunt , quibus Deus chariores suos amicos probare solet : idque ex maxima charitate , pro ipsorum æterna salute . 35.

In quibus & ipse Dominus Jesus multipliciter probatus est , qui mansueto corde omnem sustinuit contumeliam , irrisio nem , verbera , sputa , flagella & crucis tormenta : quin & pro inimicis suis oravit , nec poterant tanta illi tormenta inferre , quin multo plura desideraret pati ob Patris honorem , & animarum salutem .

Igitur hæc omnia tibi quoque toleranda sunt in primis , ne corde , 36. verbo , aut opere ullum præteferas rancom sive vindictam .

Secundò , ne amaritudinem sive tristitiam , quæ ex proprio oritur amore , in

35. Deus desiderat nobis Communicare suam beatitudinem ; & ideo ut majorem promere amur , plures , majorésque tentationes , & tribulationes immittit , vel permittit Electis suis .

36. *Corde* , i. e. cogitatione , commotione , gestu , natu , vel motu quodam extrinsecus sensibili

in corde geras : sed gravioribus te malis dignum arbitrans , omnia humiliter sufferas , teque ad omnem futuram adversitatem voluntarie offeras.

Et tertio , ut per patientiam affectio-
nis , quo conformeris dominicæ passio-
ni , omnia adversa cum magno desiderio
expectes & suscipias , plura semper to-
lerare paratus .

Hinc magnam obtinebis divini amo-
ris abundantiam , cunctas 37. animæ tuæ
vires penetrantem : adeò ut dolorem
non sentias , 38. sed persecutores tuos ,
velut intimos amicos magno amore pro-
sequaris .

Duodecima est perfecta mortificatio
omnis *propria voluntatis* , cum plena
tui resignatione ad omnem internam
derelictionem & pressuram 39. sustinen-
dam , pro amore Dei .

Quia

37. Abundantia Divini Amoris penetrat animæ vires , quando Intellectus cognoscit , Voluntas diligit , Memoria recogitat , Passiones Humanæ adjuvant , Habitus Virtutum faciliitant , sensus omnes promovent Dilectionem Dñi & Proximi , etiam Inimici , & continua Merito-
rum supernaturalium augmenta .

38. Ut dolorem non sentias , i. e. , cum impatientia , vel cum consensu in sensum &c.

39. Pressuram , sive angustiam , desolationem , tentationemque

Quia nihil homo pretiosius habet libero arbitrio , ex cuius abusu mox omnia pullulant vitia , ideo si illud Deo resignaverit , 40. protinus subverso hoc fundamento , corruent omnia vitiorum germina.

Porrò imperfectos juvat vovere aliui obedientiam , & se tradere alterius voluntati.

Perfectis autem necesse est , habete voluntatem submittendi se aliis , quando Deo placuerit.

Omnibus autem hominibus expedit beneplacitam Dei voluntatem extrinsecus , vel intrinsecus indesinenter 41. observare & exequi.

Obedientia igitur voti , debet esse formis in operibus ; & obedientia conformitatis , intus in propria voluntate conformandi se voluntati superioris sui : idque purè pro amore Dei , absque ullo re-

40. *Resignatio* , & oblatio ista non solum verbis , sed ipsis operibus est & facienda , & declaranda.

41. *Intrinsicus observare* Dei Voluntatem est Inspirationes Divinas & Angelicas sumens studio animadverteat , & adimpleat.

respectu gratiae humanae, ita ut inde
exoptet potius abjici & contemni, quam
buddari aut muneris quippiam assequi.

Tertia autem obedientia, quae dicitur
cum Deo, tam perfectè unia
Voluntatem nostram divinæ voluntati, ut
una jam sit voluntas effecta: ita ut quic-
quid Deus circa nos fieri permittit,
quam in omni in- & ex- terna pressura &
desolatione, totum ex constitutione im-
mensi amoris & misericordie Dei pro-
venire fateamur, & summo suscipiamus
affetu, quantumvis etiam arduum, ig-
nominiosum aut molestum sit, in tem-
pore vel æternitate, juxta exemplar dul-
cis Jesu, qui ab agonia in horto usque
ad mortem crucis, omni affluentia sen-
sibilis gratiae, quasi inimicus Dei fuisset,
undique destitutus erat, stans in maxi-
mis pœnis, 42. in nudo duntaxat essen-
tiali amore perfectè resignatus.

Huc

42. D. N. Jesus Christus in cruce fuit maxi-
mis, & innumeris pœnis omni ex parte cruci-
stos, & vel ideo exercuit perfectissimum Del
Patri sui, & totius generis humani amorem,
sine omni solatio. cum plena & perfecta Re-
signatione, ac Oblatione ad plures & majores,
si vel Deo Patri placitum, vel Hominibus utile
est necessarium fuisset.

His duodecim mortificationibus ad-
eptis, 43. jam sponte absque ullo medio
vires animæ nostræ fluere poterunt &
quiescere in Deo, sua origine.

Verum ut clarius dignoscas, quāditer
verum amorem & stabilem unionem
inter Deum & animæ tuæ vires possiderē
queas, videlicet in *ornatu* vitæ activæ 44.
per humilitatem, obedientiam, cæteras-
que virtutes morales, & in ejusdem
profetu, per fidem, spem & dilectio-
nem: atque in vita contemplativa spiri-
tuali & *perfecta* per ignitas aspirationes,
& dona Spiritus sancti, aliaque pia exer-
citia, observa diligenter, quæ in subjectio
breviter explicata offendes.

EX-

43. Iam ergo si creature, amores proprii,
sensus inordinati, Amores humani, cogitationes
& evagationes, sollicitudines & passiones, Amari-
tudines, superbiæ, curiositates & oblectationes,
scrupulofitates, impatientiæ, & Voluntates pro-
priæ fuerint exclusæ, ejectæ, superatæ, ac
ordinatæ, sine impedimentis, tam externis,
quam internis, Deum cognoscere, diligere,
recogitare, affequi, amplecti, possidere, &
fruitivè intueri possumus.

44. *Incipientium* vita activa ornatur per
Virtutes Morales: *Proficientium* vero per
Theologicas: & *Perfectorum* contemplativa per
Dona S. Spiritus, fructusque Eius &c.

EXERCITIUM

Cruciforme i. ad Vulnera
Domini Jesu.

*De odio omnium a. peccatorum, & acqui-
sitione virtutum omnium
Domini JESU.*

EXERCITIUM VII.

Seprimo exerceas tete in vero, constan-
tique odio omnium peccatorum, ita
ut nunquam illa admittere velis, quan-
tumvis etiam minuta fuerint, pro quo-
cunque damno, vel scandalo, sive tor-
mento evadendo. Omne namque viti-
um extirpatum sit oportet, antequam
succedat 3. virtus, & antequam in cor-

F

Je-

1. *Cruciforme Exercitium* est Imitatio illa-
rum Virtutum, quas in sua Passione & Morte
modò perfectissimò exercuit Christus, ut omne
peccatum & expiaret, & emendaret, omnés-
que Virtutes edoceret, ac demonstraret.

2. Qui non odit *omne* peccatum, vel non
querit, ac diligit *omnem* virtutem, perfectus
nunquam fieri potest.

3. Virtus perfecta excludit omne peccatum,
omnémque imperfectionem: propterea priùs
eradicanda sunt vitia, quam plantandas Virtu-
tes.

Jesu ad unionem spiritus intrare 4. permittaris. Nihil ergo ita oderis, sicut peccatum, etiam exiguum, quia dividit 5. inter Deum & animam tuam.

Secundò exercebis te in assidua perquisitione & amore omnium & singulorum virtutum, quamlibet miræ ac multiplices fuerint: imò si scires singulas guttas maris esse virtutes, laborandum tibi foret pro iis omnibus obtinendis, pro summo 6. Dei honore. Enimvero totum corpus 7. tuum Christò crucifixo semper & ubique, quantum tibi possibile fuerit, conformès, virtutibus exornes &, crucifigas 8. oportet, juxta exemplar corporis Christi Jesu, qui

4. In cor Jesu intrare est Amorem Eius cognoscere, & amore mutuo compensare: Unio Spiritus est perfecta conformatio voluntatis humanæ cum Divina.

5. Dividit, quia veniale distrahit & elongat, mortale vero penitus separat animam à Deo.

6. Ex summo amore, & ad summum Hemonem Dei.

7. In toto corpore tuo, & in omnibus membris. sensibus, & Viribus tuis Christi crucifixi Virtutes exercere, tibique affuefacere debes in omni tempore & loco, & actu, & gestu &c.

8. Sic agendo, & laborando Crucifixum temetipsum.

qui semper 9. crucifixus vixit , & crucifixus ex hoc saeculo migrare voluit , idque ex suo infinito ad nos amore , qui semper in eo recens 10. fuit , instar amoris novi sponsi . Idcirco noster amor semper recens esse debet erga ipsum , instar novi amoris , quem gerit fidelis sponsa erga amantissimum sponsum . Et ex isto amore sugere , & innos attrahere 11. debemus ex illius corpore has quinque nobilissimas virtutes cum filiabus 12. suis , easque ita fortiter imprimere 13. in animam & corpus

F 2

pus

9. Semper Crucifixus vixit & fuit Jesus , quia semper Virtutes omnes exercuit , & totius Passionis suae scientiam , etque memoriam sibi praesentem habuit.

10. Recens , i. e. , Novus , Novitius , innovatus , & servens sit oportet.

11. Ex amore Iesu Ipsum considerare , audire , intueri , & omnes Virtutes , omnia Virtutum documenta , exemplaque nobis applicare , inbibere sicut parvuli lac matris , & per actus in Habitus , perque Habitus quasi in Naturam convertere debemus.

12. Filiae istae sunt actus , & Habitus subordinati , & illuc pertinentes.

13. Cui figura imprimitur , hoc figurae assimilatur ; & quo fortius , eo expressius atque tenacius : sic & Homo , cui imprimuntur fortiter Verba & Exempla D. N. J. Christi , afficiuntur Ei tam in Corpore , quam in anima .

pus nostrum , ut instar stellarum 14. semper relucent ex nobis.

Primam virtutem , videlicet veram *Humilitatem* , portabis in pedibus tuis : 15. rogabisque Dominum Jesum per vulnera sanctissimorum pedum suorum , & per infinitam humilitatem , quam semper exhibuit , præsertim 16. in assumpta humanitate , ut tibi concedat in omnibus tam hu-

14. Et Virtutes istæ , ehrūmque actus , & Habitus , tanquam lucentes stellæ illustrant , & edificant intuentes.

15. Pedes , manus , cor & caput hic singillatim nominantur , & Partes ponuntur proto ad aliqualem distinctionem & explicacionem ; nam totus homō , totumque corpus debet esse *Humile* &c. præterea *pedes* , cùm sint *infima* membra , Humilitati appropriantur : quia vero aliæ *affectus humanos* significant , & sine affectu sincero Humiliationum Humilitas acquiri nequit , aut conservari , ipfi pedes , & ipsa pedibus benè attribuitur.

16. Humilitatem incomprehensibilem ab æterno in æternum exhibit *Deus* hominibus universis ; ipsis enim servit & per creaturas , & per semetipsum &c. Nam in labore requies , in æstu tempesties , in fletu solatium nostrum est. Lavat , quod est sordidum : rigat , quod est aridum : sanat , quod est saucium : flectit , quod est rigidum : fovet , quod est frigidum : regit , quod est devium. Pascit esurientes , potat sitientes , sanat segrotos &c. Maxime tamen declaravimus Iesum in operibus & Sacramentis suis,

humilem existere , quantum eius gratissima voluntas à te exigit.

Hanc autem humilitatis virtutem cum demum perfecte adeptus eris , quum semper ingemiscis , plangis & contristaris , quoties tibi beneficium aliquod 17. aut honor aliquis exhibetur , quo te nimirum indignum recognoscas : & cum perfectum in te desiderium 18. omnis contemptus perseverat , inter omnia scandala , injurias , contumelias , pœnas & dolores , quæ tibi irrogantur , & quibus te dignissimum judicabis.

Humilitas deinde parit tres filias , vñ delicit *Obedientiam* , *Patientiam* , *Custodiem* linguae.

Verus *obediens* non solum obedit suo superiori , & promissis seu votis suis , sed etiam omnibus creaturis.

Verus *patiens* portat & suffert omnia pro honore & amore Dei , quantumvis

F 3 aspe-

17. Gemitus isti &c. oriuntur ex vera cognitione , & vilipendione sui ipsius , nec nos ex honore culparum , pœnarumque promeritarum &c.

18. *Desiderium* istud supra explicatum est , quale fit.

19. *Omnibus* , amicis , & inimicis , gratis & ingratia , propriis & alienis , Superioribus & Inferioribus , animatis & inanimatis &c,

aspera sint , quæ Deus ipsi evenire permisit. Etenim attendit , quam patienter Dominus Jesus omnes suas cruces peruerterit pro nostra salute.

Humilis interdum 20. & non multa loquitur , quamvis sit sapiens & eruditus , quia locutione non omnia obtinerunt , mensusque fuerit bene vivere & paucis dicere , quod nōris. 21. Et sic verus humilis parum loquitur , obediens & patiens est , atque custodit linguam suam.

Secunda principalis virtus est vera *Sapientia* , in omnibus verbis , & operibus eius exercenda : quæ tam fortiter ac rationabiliter te gubernet , ut nihil licet sibi cogitare , loqui , vel agere , quantumvis etiam parvum sit , ut est articulum aliquem corporis movere , nisi ex vera ratione 22. & cum permitta Dei.

Hanc

20. Humilis non semper , neque frequenter , sed interdum , non multa , sed rara , pauca , & rationabilia , ac salutaria &c.

21. Illa tantum sunt dicenda , quæ quis vēst , ac plenē novit : non falsa , non dubia , non peccaminosa &c.

22. *Ex vera ratione* , i. e. , ex vera , sufficienti , justa , & sancta causa , cum Voluntate , & juxta Voluntatem Dei.

EXERCITIUM SEPTIMUM.

Hanc sapientiae virtutem portabis in capite 23. tuo , imprimesque caput tuum in transfixum caput Jesu Christi , obsecrando Eum per dolorem sanctissimi capitis sui , ut tuum caput sua divina sapientia exornare velit , quantum ipsi vi- sum erit & sciverit tibi necessarium fore , pro suo summo honore , tuaque & proximi tui salute. Enimvero sapientia haec maxime necessaria est ad omnem spiritua- lem vitam , cum ordine 24. ac juxta ratio- nem instituendam & consummandam.

Sapientia generat tres filias , videlicet *Timorem Domini* , *Discretionem* , & *Simpli- citatem*. Sapiens Deum nunquam offendit : quia qui peccat , sapiens non est , & ubique vera habitat sapientia , ibi etiam timor Domini invenitur. Et hoc timore oportet nos semper ornatos esse , more filiali , non servili.

Inde suasponte sequitur *Discretio* , quæ

F 4

me-

23. Portabis i. e. , exercebis & conservabis in tota anima tua , quæ est quasi Caput , & Principalis pars Hominis , per Imitationem crucifixi Capitis nostri Jesu Christi.

24. Ordine bono , provido , & discreto sum moperè indiget Vita spiritualis , ne pervertantur , aut confundantur Viæ , Viarumque operationes , & observationes necessariæ. Semper enim Pur gativa Illuminativam , & hanc Unitivam praecedere debent : & qualibet suos fibi proprios gradus habet.

medium virtutis, modumque & mensuram
in omnibus servare contendit, ne quid ni-
mis, minusque justo agens Deum offendat.

Sancta autem *Simplicitas* est, omnem
duplicitatem & multiplicatatem & curiosi-
tatem vitare, & uni summo bono inhære-
re, & omnia bona & mala immediate à Deo,
& non là creaturis, recipere, & rursus in
Deum referre, sapienterque in omnibus
voluntatem & ordinationem Dei observa-
re, Deoque & omnibus creaturis propter
Deum obedire, simpliciter & perfecte om-
nia in Deum resignato cum animo faciendo,
cum suavitate, non cum impetu : 25.
quia Deus omnia operatur, si ei locum 26.
demus. Absque simplicitate, sapientia
effet nimis curiosa, & superba.

Ubi autem verus timor, prudens discre-
tio, & pura simplicitas possidentur, error
aut peccatum haud facile subrepere poterit.

Tertia principalis virtus est vera *Car-
itas* Dei. Hanc virtutem portabis in
cor-

25. *Impetus*, & *Appetitus* naturales, aut
vitiosi, supprimi, & corrigi debent, alias neque
rationalis, neque spiritualis Vita vivitur.

26. *Deo locum damus* quando nos Ei offeri-
mus, resignamus, & relinquimus; Eique per om-
nia, & in omnibus obedire, ac placere fatagi-
mus: Et Inspirationes Eius diligenter ac devotè
uscultamus, & observamus &c.

corde 27. **tuo** : attendensque transfixum
cor Jesu Christi , cor tuum in illud im-
primis , 28. obsecrabisque eundem per
amorem divini cordis sui , & per huma-
num transfixum cor suum , ut per eadem
largiri tibi dignetur perfectum sui amo-
rem.

Charitas Dei parit has tres filias , *Fidem* ,
Spem , & in omnibus virtutibus *Per-
severantiam*. Sed hinc omnis nostra ex-
oritur defectio , ex qua non perseveramus ,
eoquod charitas nostra satis magna non
est , quæ perseverantiam parere possit.
Nam qui ex vera charitate rem aggredi-
tur , quantumvis arduam & mirabilem ,
non cessabit , donec eam obtinuerit : quia
charitas gignit fidem , qua mira operari
possimus , sicuti & spem firmam in
Deum , qua habitamus confidentes in
adjutorio altissimi , non in nostris viribus.

Quarta virtus principalis est *Justitia* ,
quam portabis in manu tua dextera : atten-
densque dexteram Jesu Christi , quomodo
propter justitiam clavis affixa fuit cruci :
obsecrans ipsum ferventer per acerbissi-
mam pœnam , quam sustinuit in vulnere
manus suæ dextræ 29. propter justitiam ,

F 5 &

27. Cor hic summitur pro sede amoris , &
includit totum Hominem.

28. Cor tuum cordi D. N. Jesu Christi pro
viribus assimilabis.

29. Dextera hic iterum ponitur pro tote.

& per amorem , qui ipsum hanc sustinere coëgit , ut tibi dare dignetur veram justitiam in omnibus operibus tuis : ut reddas Deo , quæ illi debentur , videlicet omnem honorem & gloriam , & gratiarum actionem , in omnibus cogitationibus , verbis & operibus tuis : similiter tuo superiori , & æquali , & inferiori , quæ illis debentur : & corpori tuo in cibo , potu , vestibus aut aliis necessariis , nec plus , nec minus , quam tenearis.

Justitia parit tres filias , Misericordiam , Veritatem & Gratitudinem . Justitia est mirabilis virtus , quæ dat unicuique quod illi debetur , & parit misericordiam . Vera misericordia primum miseretur animæ proximi , ut si verbi gratia pauper elemosinam à te petierit , principio ipsi , si opportune potueris , & fructum speres , cognoverisque illum aliquo vitio laborare aut periclitari , spiritualem eleemosinam impertiri teneris pro cibo animæ , quæ primo loco tibi pascenda est , ubi defecum vel penuriam patitur , quæ 30. maior est corpore . Justitia etiam veritatem parit , quæ in omnibus Deum quærit . Parit et gratitudinem ; Nec enim ieri potest , quin justus gratias agat Deo , & omnibus , qui ipsi viam monstrârint ad

30. Quæ , videlicet animæ ,

et Deum , & cooperati fuerint pro salute animæ suæ.

Quinta virtus est vera & divina *Fortitudo*, in omnibus virtutibus adimplendis , & in omnibus vitiis eradicandis. Vera fortitudo nihil curat , nec diabolum , nec homines , neque mundum , neque propriam carnem , sed confidenter procedens & pertransiens , facile contemnere potest omnia propter Deum , à quo fortitudinem illam accepit. Quum enim tentatio aliqua hominem apprehenderit , qua pene in ruinam 31. impellitur , tum divina fortitudo homini succurrit , suggeritque dicens : *Quidnam vis agere ? Vis Deum tuum offendere ? Quorsum tendis ? ubi & sicuti jam bene es , ita permaneas , ne deteriora tibi contingant.* Hanc veræ fortitudinis virtutem portabis in sinistra 32. manu tua : attendensque sinistram manum Jesu Christi , ipsum obsecrabis per dolorem hujus vulneris sui , & per mirabilem fortitudinem , quam in omnibus operibus suis exhibuit , ut tantam tibi fortitudinem infundere dignetur , quanta tibi necessaria est pro Eius summo honore & tua salute.

For-

31. *Ruina* est consensus in peccati tentationem , vel consuetudinem.

32. *Sinistra* ponitur pro toto.

Fortitudo has tres generat filias, ~~videlicet~~ *Castitatem, Sobrietatem, Paupertatem.* Homo fortis nusquam hæret neque moratur, sed fortiter pertransit universa, quæ in mundo sunt, quasi ad eum non pertinerent 33. : neque vere tur aquam adire & ignem, divino adjutorio fretus, donec obtinuerit quod desiderat. Homo fortis facile in omnibus contentus est, etiam frusto panis, vestitu simplici, & vili supellectili : quandoquidem studet æqualiter Deo in omni tempore adhærere. Idcirco castitatem generat, quia omnem immunditiam Deo exosam, detestatur. Sobrietatem quoque parit, quia nullam sciens admittit superfluitatem. Paupertatem autem producit, dum nullam omnino rem mundi vult possidere. Hæc vera paupertas voluntaria, mirabile 34. & optimum est medium ad Deum possidendum. Et has, quas prædiximus, virtutes omnes Domini nostri Jesu Christi per totam vitam tuam ab ipso postulare, & tuo corpori &

33. *Quasi ad eum non pertinerent*, vel eum nullatenus contingerent, nimirum ut eum vel ad malum pertrahant, vel à bono impedian.

34. Evellit enim, & excludit cum amore temporalium etiam distractiones, & perturbations universas circa temporalia &c.

Sicut tota vita nostra est militia & miseria, sic per totam vitam nostram Dei Misericordiam & omnipotentiam implorare debemus.

& animæ imprimere debes : conformato te in his virtutibus Domino Deo tuo pro te crucifixo , quantum tibi possibile fuerit : semper & ubique imaginem crucifixæ vitæ ac mortis suæ , in ipsis , quas prædiximus , virtutibus , aut saltem in quinque illarum præcipuis contemplando & imitando , teque in eius cruce extendendo & configendo : 35. ita ut quounque te vertas , sive ad dextram sive ad sinistram , semper unam ex virtutibus Jesu , in ea , quam tunc attendis , parte corporis 36. tui , videoas collocatam , & tibi imitandam . Neque enim Dominus Jesus ullum suæ mortis vult facere participem , qui propter ipsum carnem cum vitis & concupiscentiis suis crucifigere & mori recusaverit . 37. Porrò quamvis nostræ vilissimæ carnis crucifixio & mors nihil pe- ni-

35. In cruce extendimur , si plures virtutes imitamur ; & configimur in cruce , si perseveramus usque ad mortem .

36. In unaquaque parte , actione , & passione corporis sui monstravit nobis Jesus , quid agere , quid omittere debeamus : hæc omnia considerare & nobis appropriare , iisque assuescere debemus idoque in anima , & corpore nostro *Collocare* , itaque in naturam nostram convertere , & tam Communes , tamque faciles nobis efficere , quam Communes , & faciles sunt actus naturales &c.

37. Sub *Carne* intelliguntur omnia vitia tam corporis , quam animæ .

nitus sit comparatione 38. crucis & mortis Dei nostri , dignatur tamen mitissimus Dominus ex infinita pietate sua , gratas habere modicas cruces , quas a amore sui sponte tollimus , aut ipsius permissione , per internas derelictiones & tentationes , aut per externas injurias , pressuras & dolores nobis impositas portamus. Nam aequum gratum illi est , undecunque super nos cruces cedent , modo propter ipsum nostrae propriæ voluntati sive cupiditati moriamur. 39. Istud vero VII. exercitium , una cum XIV. exercitio sequenti , postquam semel diligenter peregeris , & bene imbiberis , 40. deinceps usque ad finem vite tuae non deseras. Quinimo habitualiter in animo tuo , omni loco & tempore circumferas : & semel in die devote exerceas : & tempore temptationis aut aridi-

ta-

38. Omnis virtutis nostræ actus suos habet defectus , vel absolutos , vel comparativos ; sed quivis , etiam minimus , actus D. N. J. Christi infinitam , & omnigenam in se continet perfectionem &c.

39. Moriamur , i. e. voluntatem nostram plenè mortificatam , perfecteque ordinatam , & Voluntati Divinæ conformatam habeamus.

40. Color benè *imbibitus* totum linum , totamque lanam penetrat , ut deleri nequeat : sic exercitia ista totum hominem occupare , & penetrare debent , ut nullo modo impediatur , vel omnino edrumpantur , eliminantur &c.

mis, 41. pro scuto & excitamento fervoris arripere non negligas : ut sic Christum induere , 42. in ipsum transformari , 43. & per ejus 44. humanitatem in divinitatem intrare 45. merearis : ut tu de cætero maneras in Deo , & Deus in te. 46. Inspice igitur & fac omnia secundum exemplar , quod tibi in monte Calvariae monstratum est, à monte montium , sancto Sanctorum , summo sacerdo-

41. Ariditas terre nec fructus , nec flores germinat : ariditas Spiritus neque Illustrationes & cogitationes sanctas , ac salutares admittit , vel affert : neque tranquillas , ferventes , & devotas affectiones erga Deum , & Divina , ac spiritualia exercitia ; sed Intellectui tenebras , affectibus frigora , corpori inordinationes , fidei blasphemias , Professioni S. apostalias &c. obtrudit.

42. Induere , est per Habitum quasi per Vestimentum , sibi Virtutes aptare , & assuefare.

43. Induere Christum , est Christi mores & virtutes acquirere & exercere.

44. Vix ordinaria prius imitari Humanitatem Christi debemus , quam videmus & audimus : & postea per Merita , Verba & Exempla Eius contemplari Divinitatem : &

45. Assimilari Perfectionibus Divinis.

46. In Deo manet , qui in omnibus , & ex omnibus aliquam Dei cognitionem quærit , ac invenit , nihilque contra , vel extra . Vel præter Deum diligit :

Et Deus manet in eo , quem sua cognitione & dilectione indefinenter illustrat , & inflamat ,

dote Christo Jesu , imprimendo 47 perfectissimas virtutes ejus exteriori 48. homini , & infinitam charitatem ejus tuo homini interiori.

EXERCITIUM VII

jam dictum , in orationis formulam practice redactum , mente i. exercendum , pro virtutibus JESU impetrandi.

AD PEDES JESU.

Odulcissime Domine Jesu Christe , obsecro te per vulnera & dolores sanctissimorum pedum tuorum , & per amorem , qui te hos pro nobis sustinere coegerit , & per profundissimam humilitatem tuam , quam semper exhibuisti , praesertim in assumpta humanitate tua , da mihi intimam cordis mei in conspectu tuo submissionem , qua tuæ infinitæ majestatis dignitatem , & humiliationem , & è regione extremæ vilitatis meæ abyssum , meumque nihilum , clare cognoscens , omni tempore , sub omnibus creaturis , corde & animo , & quoties expedit , ope re , me profundissime humiliem , oderim ,

47. *Imprimendo , & inserendo virtutes Morales corpori , &*

48. *Charitatem animæ.*

i. *Mente , i. e. , cum meditabunda attentione & devotione.*

nim, & adnihilem, & ab omnibus hominibus velut turpissimum lutum platearum, contemni & conculcari cupiam: & aliquid beneficii aut honoris a creaturis recipere doleam & refugiam. Humillima quoque verba proferam, & meam multiplicem culpam libenter absque ulla excusatione agnoscam. Et de mea virtute desperans, haec verba mihi medullitus infixa retineam, videlicet: *Nihil sum, Nihil habeo, Nihil praeter unum concupisco, in vilissimum meum nihilum, in infernum inferiorem, me justissime ac profundissime demergens & collocans.*

Da etiam mihi imitari tuam simplicem obedientiam, per flexiblem promptam voluntatis meae subjectionem, ita ut nunquam fatiger in abnegando meam propriam voluntatem, in subdendo carnem spiritui, & in observando & adimplendo humiliter tuum beneplacitum intus, 2. & in obediendo non solum superioribus meis, sed etiam omnibus creaturis, quantum licuerit, foris: 3. ita ut nihil unquam cum proprietate & adhaesione faciam, sed perpetua quadam mentis submissione ad pe-

G

des

2. *Intus* sunt cogitationes, affectiones, reflexiones, & operationes spirituales animæ:

3. *Foris* autem Verba, & opera corporalia, ~~in~~ propria, quam aliena.

des tuos jacens, 4. nihil de me & de creaturis omnibus in tempore & æternitate desiderem, nisi tuam sanctissimam nosse & exequi voluntatem, dicendo semper in desiderio animæ: *Domine, quid me vis facere?* omni mea voluntate in tuam voluntatem transfusa, 5. penitus amissa, & ad nihilum redacta.

Da quoque mihi imitari tuam stupendam *patientiam* & mansuetudinem, qua omnem paupertatem, contumeliam, pœnam & dolorem, de manu paternæ providentiæ tuæ, æquali 6. & grato animo suscipiam, & majoribus malis me dignissimum agnoscens graviora semper pati desiderem, & adeo longanimiter,

ex

4. Ad *pedes* qui jacet, sese humiliat usque ad terram: sic nos semper, & præsertim in Orationibus nostris coram Deo nos humiliare debemus.

5. Quod transfunditur, alteri committitur & relinquitur: & nos *propriam* voluntatem nostram Deo plenariè debemus committere, ac relinquere, & hoc modo quasi penitus amittere, & in tantum annihilare, ut nihil sine Deo, nihil contrà Deum velit, ac velle possit.

6. *Æquali* tam in prosperis, quam in adversis &c. & pro utrisque gratias *æquè* deo-
tas agente.

ex desiderio 7. conformitatis crucifixæ
vita & mortis tuæ , ea omnia sufferam
ut nihil in me notetur humanum , 8. sed
sit vita me tecum abscondita in Deo.

Damibi Conformem tuo exemplo hu-
milem taciturnitatem , qua intus tua yer-
ba 9. diligenter auscultans , foris ab
omni otioso , mendaci , & noxio verbo
loquendo vel audiendo . strictè absti-
neam : & sola necessaria & utilia paucis
humiliter dicam , magisque curem bo-
ne exemplo docere , quam verba.

AD CAPUT JESU.

O dulcissime Domine Jesu Christe , ob-
fecro te per acerbissimum dolorem
vulnerati capitis tui , & infinitum ame-
rem , qui hunc te subire coëgit , imprimi

G 2

10.

7. Quo major est amor , eo maius est de-
siderium cuiuscumque rei: ex magno itaque amo-
re Jesu Crucifixi oritur , & nutritur magnum ,
perpetuumque desiderium Ei se conformandi , &
cum Ipso , ac pro Ipso Patiendi &c.

8. Invincibilis Patientia superat omnem hu-
manam impatientiam , adeo , ut observari , &
notari infirmitas humana haud valeat.

9. Verba Dei sunt Illustrationes , & Inspira-
tiones Eius , per quas , tanquam per verba ,
nos instruit , excitat , confortat , recreat , vel
consolatur , in omni quiete cordis nostri.

10. caput meum in spinis compunctum
 caput tuum : & exorna caput meum tua
 divina *sapientia*, quantum mihi expedit
 pro tua gloria, & mea salute : (Nam hæc
 mihi ad spiritualem vitam maxime nece-
 saria est) & per eandem me foris & intus
 11. ita gubernare digneris, ut nihil un-
 quam cogitem, dicam, agam, aut pa-
 tiar, quantumvis exiguum, nisi expen-
 sis primum illius circumstantiis & fine, ex
 illuminata per te ratione, & interna tua
 licentia, hoc tibi placitum cognovero.
 Intellectum quoque meum per eandem
 clara tuæ bonitatis & voluntatis, & è re-
 gione mei ipsius & omnium rerum vili-
 tatis ac nihili cognitione illuſtra : & affec-
 tum meum tuæ dilectionis & dulcedinis
 gustu, insatiabili quoque te honorandi &
 me contemnendi desiderio inebriâ : & ter-
 tena omnia mihi in amaritudinem conver-
 te, meque surdum, cæcum, & mutum
 12. ad omnia, quæ tu non es, potenter
 ef-

10. *Inprime*, i. e. conforma te, caputque
 tuum cum capite Jesu &c.

11. *Foris & intus*, i. e., exteriora, &
 interiora tua &c.

12. *Surdus non audit, cæcus non videt,*
mutus non loquitur, stultus non dijudicat : sic
 quasi non audire, videre, loqui, & dijudicare
 debet suæ salutis & sanctitatis cupidus, quæ ab
 aliis dicuntur, vel aguntur, identidem sibi dix-
 eens : *quid ad te? tu sequere Jesum.*

efice, tanquam mox ex hoc s^eculo migraturum.

Da mihi filialem tui *timorem*, perpetuumque odium omnis peccati, etiam minimi, strictamque mei interioris & exterioris hominis custodiam: ut semper uno oculo introverso, 13. verba & opera mea præcogitem, & ante singula tuum divinum auxilium doyotus invocem: 14. & mox ubi aliquid rationi contrarium apprehendero, statim cessem, ne gratiam tuam amittam, aut oculos tuæ pietatis offendam.

Da mihi claram spirituum *discretiō-*
am, qua omnes laqueos diaboli, proprias quoque naturæ quæstiones, errores & excessus, limpidè cognoscere & vitare, & universa, quæ mihi incumbunt, prudenter advertere, recte discernere, & suis debitibus modo, loco, ordine, tempore exequi valeam: & inter plus & minus, medium virutis attingam & custodiam.

Da mihi sanctam parvolorum *simili-*
ti-

13. Uno oculo, una reflexione super semipsum factâ, an licet, an deceat, an expediat ita loqui, operari &c.

14. Invocatio ista jam longior, jam brevior, jam brevissima esse potest.

citatem, qua ab omni duplicitate 15. & multiplicitate , 16. curiosa quoque perscrutatione in intellectu , proprio amore & quæstione in voluntate, ac à cogitationibus , curis & imaginibus in memoria denudatus , clausisque 17. ac introversis sensibus & viribus meis, sedulus mei ipsius inhabitator effectus , simplici cogitatione & desiderio , uni tibi simplici Deo adhæream' , reverenterque in præsentia tua ambulem , solicitus fervare unitatem spiritus in vinculo pacis. Et sic omnes cogitationes , verba & opera mea diligenter obseruem , & ex simplici sub te & aliis hominibus obedientia , absque adhæsione , 19. in te & per te perficiam. Et omnia accidentia bona & mala , de manu pro-

15. *Duplicitas intentionis & amoris* duobus dominis servire studet , Deo , & mundo , vel carni , vel diabolo.

16. *Multiplicitas & varia* , & instabilis est in affectibus , & intentionibus , & studiis suis.

17. *Denudatus* , i. e. , liberatus , & expeditus &c. *Clausis* , i. e. , bene custoditis , refræmatis , ac moderatis , atque ad Deum in corde suo præsertem conversis &c.

18. Qui suum cubiculum diligit , custodit , & inhabitat , ipsum , & contenta in ipso considerat : sic qui seipsum inhabitat , omnia sua , am exteriora , quam interiora perscrutatur , & bene , ac sancte Coordinet &c.

19. *Adhæsio* est adhærens & prædominans amor.

providentiae tuæ immeditate 20. suscipiam , & referam in te : & ad singula me me statim in meum nihilum intrò recipiam , & tibi primum ex illis laudem debitam offeram : deinde attendens quid per ea à me fieri velis , sive quorsum hæc mihi serviant , aut me moveant , videlicet ut orem , aut gratias tibi agam , pro alijs , aut pro me , propter bona data , aut mala permissa sive ablata : vel ut me ipsum humiliem , custodiam , & resignem , aut certe ut agnoscam & emendem culpam , infirmitatem , aut negligentiam : sive ut aliud quippiam faciam : (nam sine causa nihil mihi aut ulli creaturæ permittis accidere) hæc , inquam , vigilanter 21. advertens , aliquam ex singulis eventibus virtutem hauriam , 22. & tuam voluntatem in omnibus sapienter & simpli- citer adimpleam , omnem propriam qua- sitionem semper & ubique repudiando.

G 4

AD

20. Immediate à Deo , fine omni attentione , vel inculpatione alicuius Creaturæ , amici , vel inimici &c.

21. Vigilanter , i. e. , diligenter & foli- cie &c.

22. Hauriam , i. e. , acquiram & exerceam aitum , habitumque Virtutis .

AD COR JESU.

Odulcissime Domine Jesu Christe,
obsecro te per ardentissimum divini
cordis tui amorem , & per humanum
transfixum cor tuum, & per pressuras ejus,
imprime cor meum in transfixum cor
tuum , & reple illud perfectissima *cbari-*
tate, quæ omnem privatum amorem erga
meipsum & creaturas , in me funditus
occidat : 23. & sagita tui igniti amoris
adeo vulneret & accendat , 24. ut te dul-
cissimum Dominum Deum meum ex
toto corde , 25. ex tota anima , ex tota
men-

23. *Occisum* non amplius habet aliquem mo-
tum , & amor Creaturarum , vel suiipsius ita debet
esse mortificatus ac ordinatus , ut nullum jam mo-
tum inordinatum exercere , vel attentare valeat.

24. *Sagitta* vulnerat & occidit , *scintilla* ac-
cendit & comburit : sic Amor Jesu Christi in nobis
vitia nostra infirmare , & occidere , debilitare , &
eliminare : virtutes autem & præcipue Charita-
tum inhoare , augmentare , ac consummare debet.

25. Sub Corde Intentio , sub anima Voluntas ,
sub Mente cogitationes , & scientiae , sub viribus om-
nes sensus , & membra intelliguntur : ex toto igitur
Corde diligetur Deus , si omnis Intentio nostra
Ei satisfacere , obedire , placere , & adhærere
desiderat. Ex tota anima , si voluntas nostra
Voluntati Divinae in omnibus se conformat. Ex
tota Mente , si firma in fide Romano - Catholica
indefinenter Deum , & Divina recogitat. Ex om-
nibus viribus , si omnes sensus , & omnia membra
ad Dei cultum , & obsequium impenduntur.

mente , & ex omnibus viribus meis ,
 purè propter bonitatem tuam , absque
 ulla retributionis contemplatione , per-
 fectissimè diligere , magna dimittere ,
 operari & pati valeam ex amore prop-
 ter te , & in his perseverare usque in
 finem . Et flammigeris infinitisque de-
 sideriis & orationibus , pro perfecta mei
 abnegatione & amorosa tecum unione
 obrinendis , ad te indesinenter suspirem ,
 clamem & pulsem : teque semper cogi-
 tem , te loquar , te esuriam & sitiam ,
 te quæram & inveniam , donec totus in
 te transformatus , unus tecum spiritus
 siam , in te perpetuò manens , & tu in
 me . Da mihi quoque eadem charitate
 diligere omnem hominem in te , 26. &
 propter te , sicut me ipsum .

Da mihi *fidem* vivam & fortem ,
 quæ mira & grandia operetur pro ho-
 nore tuo : atque intentionem rectam
 fidei lumine illustratam , quæ in cunctis
 agendis sive tolerandis , simplicem puræ
 mentis oculum , ad tuam gloriam &
 beneplacitum dirigat , & omnem quæ-
 sitionem naturæ ad se ipsam reflexæ ,
 27. protinus rescindat rejiciatque .

G 5

Da

26. *In Deo* , i. e. , in - & ex amore Dei &c.27. *Natura* ad seipsum , nomine ad commodi-
 tates , utilitates , voluptates , voluntates , laudes
 suas &c. semper reflectitur & intendit .

Da mihi firmam ad te *spem* & *confidentiam*, qua anima mea supra omnia labentium rerum vicissitudinem in te levata, universos motus suos absque solicitudine & imaginum 28. attractione, adeo pure in te manens 29. exequatur, ut amorosam in te fluxum 30. nunquam impedit vel amittat, sed etiam inter adversa & pericula quaecunque, plena fiducia, tuam providentiam longanimitatem expectet: atque orationes suas propter infinitam bonitatem tuam exaudiendas, humiliter speret, absque hæsitatione ulla habitans 31. in adjutorio & protectione tua.

Da mihi stabilitatem & *perseverantiam*, ex forti amore procedentem, qua continuo proficiendi studio, juxta sanctissimæ vitæ tuæ speculum saepius attender-

28. *Imagines*, & *imaginaciones* sunt distractio-
nes nostræ, & præsertim illæ, quas amer vel
enutrit vel concomitatur.

29. In Deo, & Dei amore pure manet, qui
omnem alium amorem expellit.

30. *Fluxus amorosus* hic est contiguum, &
continuum exercitium actuum ab amore vel elicitorum,
vel imperatorum.

31. Qui habitat in domo bene fundata & con-
structa, non timet fibi à temporestatibus, & Ven-
tis: sic qui Deo confidet, & credit perfectè,
tentationes, & tribulationes nullas expavescit.

dendum, quæ retrò sunt, oblitus, me in anteriora extendam, frequenter discussiam, & sæpius distractus, novo cum fervore ad te revertar, & per aquam & ignem
32. transiens, usque in finem perseverem.

AD DEXTERAM.

O dulcissime Domine Jesu Christe, obsecro te per acerbissimum dolorem, quem sustinuisti in vulnere manus tuæ dextræ, & per infinitum amorem, qui hunc te sustinere coëgit propter justitiam, pro nostri redemptione, Da mihi perfectam *justitiam*, qua tibi Deo meo omnem attribuam honorem, gloriam & gratiarum actionem, atque obedientiam, in omni cogitatione, verbo, & opere meo: & meis superioribus, æqualibus, & inferioribus, animæ quoque & corpori meo reddam, quæ illis debentur. Omnia verò debita, quæ juxta statum meum mihi solvenda incumbunt, tempore congruo summa cum devotione persolvam, & prohibita fugiam; atque pro omnibus peccatis & negligentiis meis, pœnitentiæ & amoris lachrymis quotidie me ipsum mactans,

33.

32. *Per ignem & aquam*, i. e., per varias vitæ circumstantias, & hominum, diemontiumque infidicias, violentias, fraudulentias &c.

33. in hoc sæculo per meritum passionis tuæ expurger , sicque dignè ambulem vocatione, qua vocatus sum , & sicut creaturam decet rationalem.

Da mihi quoque imitari propensissimam *misericordiam* , compassionem , benignitatem , & liberalitatem tuam erga omnes homines , etiam meos adversarios , ut nemini unquam irascerar sive succenseam : neminem oderim , judicem , contemnam , contristem aut lædam : sed omnes sine personarum acceptione , materno affectu in te diligam & honorem : omnibusque , præsertim afflictis , tentatis & inimicis , fideliter serviam , benefaciam , & oratione & subsidio quocunque pro viribus succurram : animarum salutem ante omnia sitiam & quærar , atque pro eorum malis intimè doleam , & orem : & pro bonis gratias agam , sicut pro meipso fieri optarem.

Da mihi imitari tuam *veritatem* , & strenuum zelum , contra mea & aliorum vitia , qui pro tui honore & animarum sa-

33. *Quotidie* , imò sæpiùs in qualibet die debemus nos Divinæ Majestati , ac Voluntati offerre , & quasi victimam in Sacrificium immolare , tum verbis sinceris , tum operibus virtuosis.

filute, me totum comedat , 34. vitamque meam & opera , cum corde & verbis aptè consentire faciat , & sanctissimæ vite tuæ virtutibus ubique conformet.

Da mihi intimam *gratitudinem* , qua omnia benefica abs te & à creaturis mihi impensa , humiliter recognoscam , dignè ponderem , & summa cum devotione te laudando , tibiique gratias agendo , tuæ bonitati (ex qua manarunt) pure absque ulla subtractione , 35. adscribere illa & accepta referre studeam : & me velut omnibus indignum & abutentem , in profundum meum nihilum demergam , in nullo prorsus dono tuo vel modicum oblectari 36. aut requiescere præsumens.

AD SINISTRAM.

O dulcissime Domine Jesu Christe , obsecro te per dolorem , quem su-
sti-

34. Quod comeditur , à comedente consummitur : & Zelus bonus tunc comedit hominem , quando hic in studio Honoris Divini , salutisque Humanæ omnia sua impendit , & consummit.

35. Absque ulla subtractione laudis , honos & gloriae.

36. Nam donis , & beneficiis Divinis uti & solo Deo frui licet.

stinxisti in sinistra manu tua, & per mirabilem fortitudinem tuam, quam exhibuisti in omnibus operibus tuis, infunde mihi tantam *fortitudinem*, quanta mihi necessaria est, pro tua gloria & mea salute, qua dominari valeam animo meo, viribus quoque & sensibus meis, ita ut neque homines, neque dæmones, nec mundum, nec carnem propriam timens, confidenter pertranseam 37. & contemnam universa, tanquam ad me non pertinentia, propter te, qui mihi hanc fortitudinem dedisti: & nusquam hæream 38. neque cessem, donec obtinuero quod desidero, videlicet ut unus tecum spiritus siam & maneam.

Da mihi tuam amabilem imitari *castitatem* corporis, & *puritatem* cordis, qua omnem immunditiam vehementer detestans, universas cogitationes & sensus meos ab omni peccato, & ejus occasionibus, necnon ab omni impuritate & adhæsione 39. creaturarum, indefinenter cu-

37. *Pertranseam*, pervincam, & in virtutis alicuius meritum convertam, & cum D. Paulo Apostolo quasi stercora vilipendam &c.

38. *Hæream*, hæsiteam, vel in utramque partem claudicem,

39. *Adhæsio* est immodica affectio amoris, vel alterius passionis.

custodiam , & ab irimundis incidentiis
sine mora forti ad te cordis conversione,
quoties inciderint , integra voluntate
semper recurrat , atque sic nudo 40.
intellectu & affectu tibi semper adha-
ream.

Da mihi imitari tuam sanctissimam
sobrietatem , qua omnes vires & affectus
animæ , & sensus corporis mei , ab omni
inordinata delectatione & superfluitate
restringam & mortificem : & sola ne-
cessaria , absque desideriis , cum magno
tui timore , & affectus mei aversione , mode-
ratè 41. usurpem , supremis animæ viri-
bus in amorosa tui unione fortiter per-
manentibus , 42. & ad te suspirantibus.

Da mihi imitari quoque tuam vo-
luntariam *proprietatem* , quæ mirabili
compendio hominem in Deum dicit ,
& da mihi per illam ab omni amore ,
adhaesione & delectatione in donis tuis
spiritualibus intrinsecus , & ab omni
af-

40. *Nudus* est *Intellectus* & *affectus* , quan-
do ab omni creatura liberatus est , & purus.

41. *Moderata* , i. e. , medium temperantiae &
abstinentiae habens sit *omnis refectio nostra*. Et

42. *fortiter* , i. e. , constanter in quadam ele-
vatione cogitationum , affectionum , & aspiratio-
num devotarum permaneat *Intellectus* , *Volun-
tus* , & *Memoria nostra* etiam inter *edendum* &
bibendum , per preces inculatorias &c.

affectu rerum temporalium extrinsecus ;
adē nudum , absolutum 43. & pau-
perem spiritu 44. fieri & manere , ut
etiam rebus necessariis utar cum dolore
& fastidio : & nihil unquam possidere
desiderem , sed nudus intra nuda brac-
hia 45. tua & crucifixus requiescam ,
nihil in me reservans , nisi intentionem
tibi placendi & locum dandi , 46. quo
id potero modo perfectissimo.

IDE M SED BREVIUS atque comprehensius.

AD VULNERA PĒDŪM JESU.

Gratias tibi ago humillime Jesu , pro
incomprehensibili amore & dolore
vul-

43. *Absolutum* , i. e. , liberatum , & resig-
natum.

44. Et *Pauperem Spiritu* , nimirum in af-
fectu , & præparatione cordis ad superfluitatem
ac egestatem æquè parati.

45. *Nudus intrâ nuda Christi brachia* est ,
qui Pauperi Christo similis Ipsius gubernationi ,
& Protectioni se totum committit , & Crucifixum
imitans patienter , longanimitate , ac Mag-
nanimitate universa sustinet ac superat , fine omni
perturbatione , distractione , vel inquietudine ,
ac tristitia cordis sui .

46. *Intentio locum dandi* D. N. J. Christo
est sincerum desiderium , & Conatus perpetuus
Ipsum Sacramentaliter , vel Spiritualiter sumendi ,
consolandi , audiendi , possidendi , fruendique .

EXERCITIUM SEPTIMUM.

xxv

vulnerum sanctissimorum pedum tuorum : simulque in ea projicio me ipsum totum , & omnia peccata & delicta totius anteactae vitae meat , præsertim omnem meam

Suberbiam , vanam gloriam , & arrogantium :

Voluntatem propriam , inobedientiam , & irreverentiam erga te , tuosque vicarios :

Impatientiam , iracundiam & rancorem :

Loquacitatem , detractionem , vitia que his cognata : ut aboleantur & expientur pretioso sanguine tuo.

Obsecro Te per ineffabilem humilitatem , obedientiam , patientiam & taciturnitatem tuam , ut has easdem virtutes , & omnes earum species , mihi largiri digneris : quo per gratiam tuam , in cunctis deinceps verbis , cogitationibus , & operibus meis sim vere

Humilis , subtus omnem creaturam ad nihilum me redigendo :

Obediens , sub te & omni homine propriam voluntatem meam abnegando :

Patiens , omnia adversa de manu tua videlicet recipiendo :

H

Ta.

Taciturnus , solis tuis verbis in silentio intus auscultando :

Arque in omni vita , maximè in terribili mortis hora , sit mihi certum in his sacris vulneribus refugium.

AD CAPUT.

Gratias tibi ago sapientissime Jesu , pro amore & dolore sacrosancti capitii tui , crudelissimè spinis compuncti , & dire cæsi : simulque in eius innumera vulnera infirmum caput meum cum viribus & sensibus meis , & omnia peccata & delicta mea projicio , præsertim

Omnem proprii sensus & prudentiæ pertinaciam , sensuum abusum ac dissolucionem :

Timoris tui neglectum , adulatioñem & timorem hominum :

Indiscretionem & immoderationem meas multam :

Impuram intentionem , & propriam quæsitionem , vitiaque cuncta huc pertinentia , ut expientur pretioso sanguine tuo.

Obsecro etiam te per ineffabilem sapientiam , timorem , discretionem , & simplicitatem tuam , ut has easdem vir-

tu-

EXERCITIUM SEPTIMUM, 115

ates, & omnes earum species mihi largiri digneris : quo per gratiam tuam in cunctis deinceps cogitationibus, verbis & operibus meis sim verè

Sapiens, nudis intellectu & affectu tibi adhærendo :

Piè mactuens, ne te offendam, foris exteriora & intus interiora mea obser-vando :

Discretus, inter extrema medium vir-tutis attingendo & Custodiendo :

Simplex & controversus, in te uno ha-bitando, teque solum pure quærendo :

Atque in omni vita, præfertim in mortis angustiis, sit mihi certum in tuo vulnerato capite refugium.

A D D ULCISSIMUM COR JESU.

Gratias tibi ago amantissime Jesu, pro infinito amore & dolore dulcissimi cordi tui, lancea militari, sub aspectu tristissimæ Matris tuæ, dirè confosse & simulque in ipsum totius boni fontem, totum cor meum, cum omnibus affec-tibus suis commendando, projicio & resig-no, atque una simul omnia peccata & delicta mea, præfertim

H 2

Om.

110 D. NICOLAI ESCHIL.

Omnem amorem privatum & virtutum quarumlibet rerum creatarum, nec non Sacramentorum donorumque tuorum abusum & negligentiam :

Diffidentiam, infidelitatem, dubia & errores circa Fidem :

Temeritatem, pusillanimitatem, & desperationem :

Eorum, quæ status mei sunt, incuriam & instabilitatem, instabilēmque observantiam : vitiaque cuncta huc pertinentia, ut aboleantur & expientur pretioso sanguine tuo.

Obsecro Te etiam per ineffabilem charitatem, fidem, spem, & constantiam tuam, ut has easdem virtutes tuas, & omnes earum species mihi largiri digneris : quo per gratiam tuam, in cunctis deinceps cogitationibus, verbis & operibus meis sim verè

Fervidus, te unum totis viribus diligendo & suspirando :

In prosperis & adversis, plena fide & spe, tibi innitendo & adhærendo :

Stabilis, continuo proficiendi studio me extendendo semper ad meliora, & perfectiora :

At

Asque in omni vita mea , maxime
in tremenda mortis hora , sit mihi secu-
rum in hoc fidissimi cordis tui vulnere
refugium.

AD DEXTERAM

Gratias tibi ago justissime Jesu , pro
incomprehensibili amore & dolore
vulneris sanctissimæ dextræ tuæ : asque
in ipsum me totum projicio , ac omnia
peccata & delicta mea : præsertim

Omnem meam injustitiam erga Te &
creaturas tuas :

Cordis asperitatem , displicentiam , &
invidiam :

Falsitatem , mendacium , & hypocrismus

Ingratitudinem erga tua & tuorum
beneficia ; ut aboleantur & expientur
preioso sanguine tuo.

Obsecro etiam Te per ineffabilem ju-
stitiam , misericordiam , veritatem & gra-
titudinem tuam , ut has easdem virtutes
& omnes earum species , mihi largiri dig-
beris : quo per gratiam tuam in cunctis
deinceps cogitationibus , verbis , & ope-
ribus meis sim

Justus , unicuique jus suum tribuens:

H,

M.

Misericors , omni creaturæ bona be-
ne volens & faciens :

Verax & zelosus , me totum tuo ex-
emplo conformans :

Gratus te semper benedicens , & be-
nefactoribus vicem retribuens :

Atque in omni vita mea , maximè
in pavenda mortis hora , sit mihi cer-
tum in hoc sacro vulnere refugium.

A D LÆV A M.

Gratias tibi ago fortissime Jesu , prò
incomprehensibili amore & dolore
vulneris sinistræ manus tuæ : atque in
ipsum me totum projicio ; & omnia
peccata & delicta mea , præsertim

Omnem ignaviam , torporem & tem-
poris perditionem :

Impuritatem mentis & corporis :

Intemperantiam cibi , potus , & ali-
orum necessariorum :

Avaritiam & cupiditatem , vitiaque
huc pertinentia : ut aboleantur & ex-
pientur pretioso sanguine tuo.

Obsecro te etiam per ineffabilem for-
ti-

titudinem , puritatem , temperantiam , & paupertatem tuam , ut has easdem virtutes , & omnes earum species , mihi largiri digneris : quo per gratiam tuam , in cunctis deinceps cogitationibus , verbis , & operibus meis sum verè .

Fortis , nusquam hærens , timidus , formidolosus , aut desperabundus , sed caduca omnia despiciens :

Caftus , membra , sensus & vires meas in puritate custodiens :

Sobrius , fola necessaria cum timore percipiens :

Pauper spiritu & rebus , in Te solo quiescens : atque in omni vita mea , præsertim in tremenda mortis hora , sit mihi certum in hoc sacro vulnere tuo refugium.

Ut autem jam dicta omnia imperare dignus sim , efficiat apud te Deus meus singulare praesidium infirmitatis meæ dulcissima Mater tua , semperque Virgo Maria , cuius ista sanctissimis ac nudissimis manibus commendo , ut per eam admitti mereantur in conspectum tuum , mihique veniam reportent & gratiam , & Gloriam. Amen.

De pleniori conformatione & transformatione in crucifixum.

EXERCITIUM VIII.

Octavo exercebis te in integrâ acutâ que 1. meditatione vitæ & passionis Christi , imprimendo vitam , passionem & mortem ejus profundè in animam & carnem tuam , ut semper , sicut ex lucerna , 2. ex te relucere possint , & de illis semper cogites , atque loquaris. Quia Christus Jesus per easdem nos 3. redemit , quando diabolus nos ut servos possedit , ut nunc ad Patrem pertineamus , qui nos per unigenitum filium suum emit , solvendo per eundem debita nostra , quibus illi eramus obligati. Et hujus maximi bene-

1. *Acutaque* , i. e. , perspicaci & efficaci.

2. In & ex lucerna ardet & lucet lumen vel candela accensa : sic etiam in & ex corpore & anima tua existere , & operari debent Habitus & actus Virtutum Christianarum , Christianique similium.

3. A quo quis superatus est , huius & servus est : quia ergo decepus & in varia peccata projectus homo est à diabolo , huius mancipium effectus est , & à servitute , ac tyrannide ista , tam quoad culpam , quam quoad poenam , solius Christi meritis , doctrinis , & exemplis liberari potuit , ac regenerari debuit , ut Dei Patris servus , filius , & Haeres efficeretur,

neficii gratia , 4. perpetuò manemus illi debitores. Quod si debitum hoc grātē ac piè eidem solvere velimus , vitam , paſſionem & mortem ipſius in animæ noſtræ vires , corporisque ſenſus , & carnem , im-primamus , aſſumamus & imitemur oportet , quaſi unum 5. cum vita & paſſione ipſius effecti . Et ſic debitum , quod ipeſe pro nobis ſolvit , illi utcunque 6. re-pendimus . Ut autem perfectè idipſum implere valeas , neceſſe eſt , ut omnes cogitationes , verba , opera , & mores tuos adeò confor-mes cogitationibus , verbis , operibus , & moribus Ieſu Christi , ut ubi-cunque viſus , auditus ſive tactus fue-riſ , nihil 7. in te inveniatur , niſi quod fuit in Christo Ieſu . Et tum demum videbitur in te , quod ſis verè Christianus.

Inſuper quoniam illi ſimiles ſumus in humana natura , oportet ut noſtrā natu-

H 5 ram

4. Nam beneficia æterna & perpetua gratitu-dinem perpetuam , atque æternam exprimulant.

5. Quaſi unum , i. e. , perfectè ſimiles , confor-mes & vni-ti , ſimiles in anima , confor-mes in corpore , uniti per Charitatēm.

6. Quia integra & perfecta , ſeu adæquate-gnatiarum actio vires noſtras excedit.

7. Nihil , nullus actus , nullusque habitus , aſi Christo ſimilis.

ram eius exemplo crucifigamus , 8. eo quod ipsa peccatum sponte elegerat : 9. quemadmodum idem nos hortatur in Evangelio , dicens : *Abnega temetipsum , & tolle crucem tuam , & sequere me.* Per hoc enim jubet , ut corpus , naturam & sensualitatem nostram per veras virtutes crucifigamus . Animas quoque nostras conformabimus tristissimae animæ Christi , dolentes semper de inhonoratione Dei , animarum perditione , ac nostris & omnium hominum peccatis . Quantum in istis deficimus , 10. tantum manemus Dominum Deo nostro debitores . Certe fidelis amator Jesu tam profundè sese immergere & imprimere 11. debet in vitam & passionem eius , ut eandem semper sentiat si .

8. *Crucifigamus* , i. e. , mortificemus , & in perpetuo Virtutum omnigenarum , exercitio , passionumque & malorum consuetudinum nostrorum exterminio , atque dominio figamus tanquam in Cruce .

9. *Abnega* , i. e. , nega tibi cupita : *tolle crucem tuam* , i. e. , sustine , aut supera tibi adversantia , & te gravantia : & *sequere ac imitare me in omnibus* , per omnia , & ex omnibus .

10. *Deficimus* , vel per tepiditatem & inconstantiam , vel omnino per peccata & vitia nostra .

11. Quod *immergitur aquæ* , omni ex parte concluditur ab aqua : sic etiam nos *immergimur in Vitam & Passionem Christi* , quando per omnia in memoriam nostram venit aliquod Myterium Vitæ , Doctrinæ , aut Passionis Eius .

fibi magis præsentem & infixam , 12. quam suam propriam crucem & afflictionem. Imo si singulari pœna ipse in aliquo membro torqueretur , magis tamen sentire deberet passionem Christi , quam dolorem , quem præsentem in eiusmodi suo ipsius membro pateretur. Idcirco magno desiderio orare non desinat Dominum Jesum , ut ipsum per ardentem , elevatum 13. & resignatum 14. spiritum : per tristem , compatientem & mortificatam animam ; per afflictum , laboriosum & excruciatum corpus , 15. suæ sanctissimæ , crucifixæ humanitati persecutissimè conformare dignetur , 16. & ad mi-

12. *Infixam* non solum memoriae , sed & integrissimæ Voluntati.

13. *Spiritus noster* , i. e. , supremus homo , & suprema pars animæ nostræ debet esse *ardens Amore Dei & Proximi* ; *Elevatus ad Deum per intentiones & aspirationes sanctas* : *Resignatus* , & *conformatus plenè cum Voluntate Divina*.

14. *Anima & quasi media pars nostra* , debet esse *tristis* propter peccata propria & aliena : *Compatiens D. N. Iesu Christo , & SS. Matris Mariæ &c* : *Mortificata in viribus , & affectibus suis*.

15. *Corpus , & infima pars nostra* , debet esse *afflitum temptationibus , laboriosum in Virtutibus , & Excruciatum variis doloribus , vel immisis à Deo , vel sponte susceptis , & causatis*.

16. *Continuus iste dolor corporis* si non habetur , per interiores gemitus , & spirituales tristias suppleri potest.

minus aliquo continuo dolore corporali, omni tempore monere, ut suæ passionis nunquam obliviscatur, atque ut ipse Jesus in eo requiescere & operari delectetur absque ullo impedimento.

Beatissimam igitur Domini Iesu passionem exercere 17. debemus, primò ad *imitandum*, secundò ad *compatiendum*, tertio ad *admirandum*, quartò ad *exultandum*, quintò ad *refolvendum*, sex. ad *quiescendum*.

Primò eam consideremus ad *imitandum*, quia ipsa est summa & perfectissima Christiani hominis regula & principalis occupatio. Hæc est enim summa & sanctissima religio, & religiosa perfectio: hæc est exemplar perfectionis pro omni vita & virtute, nimirum imitari Christum in vita, passione, & morte sua. Sit ergo regula nostræ vitæ passio Salvatoris, in qua tanto amplius consolemur, quanto perfectius Christo conformamur: & tanto amplius desolemur, quanto longius ab hoc exemplari & regula separamur. Semper ergo quantum in nobis est, optemus ab omnibus conculcari, dejici, vilipendi, illudi, affligi, flagellari, & in divinis obsequiis ab omnibus exprobrari.

Si-

17. *Exercere*, i. e., Meditari, ac imitari.

Sicut audi cum nudo , 18. & nihil omnino habere cupiamus : imo habere aliquid , sit nobis gravissima pœna & dolor immensus : nihil verò habere , perfecta exultatio. Abhorreamus dulcia & delectabilia degustare , & potius velimus vilibus & amaris refici , & desideremus , quod quelibet cibaria felleum potius quam melleum nobis adferant saporem : quia Christus Jesus felle & acetato pro nobis fuit potatus. Et ut breviter dicam , consideremus qualiter ipse in passione sua se habuit , & conformemus nos eidem pro modulo nostro , quantum poterimus : ea tamen servata ubique moderatione , ut ne excedamus mensuram infirmitatis nostræ. 19.

Secundò exerceamus nos ad *compatendum* Domino nostro innocentissimo , considerantes ipsius flagella , illusio-

18. *Nuditas* jam in bonam , jam in malam partem accipitur ; nam & vestiri virtutibus , & supervestiri gloria æterna , tanquam ueste immortalis , debemus ; & expoliari , privari , ac nudari ab omnibus vitiis , concupiscentiis , rerumque Creatarum amoribus , curis , & cogitationibus superfluis , alienis , inordinatis &c.

19. Non omnes tum corporis , tum animæ vires habent sequales ; ideo non omnia ab omnibus equaliter aggredienda sunt , *supererogatoria* nimis ; nam ad *communia* , quæ sunt omnibus proportionata , omnes tenentur.

fiones & opprobria , & in corde nostro
 20. ruminemus , quanta fuit in ejus pa-
 sione dejectio & contemptus erga Do-
 minum nostrum Jesum Christum , quan-
 tus dolor , quanta afflictio in corpore &
 corde Jesu , tam ratione propriæ passio-
 nis , quam erga nos compassionis ob-
 peccata nostra. Consideremus quanta
 tunc amaritudine repleta fuit angelorum
 dulcedo , quantumque aggravabat eum ,
 non tantum pœnæ illatio , & nostra in-
 gratitudo , sed & assistentis afflictio Ma-
 tris , quam tenerimè diligebat , & quasi
 deficere præ compassionis dolore vide-
 bat. Ibi filius crucifigebatur cum Matre ,
 quia propter nimiam & ardentissimam
 dilectionem ex compassionē mutua erat
 nimia afflictio utriusque , idque maximè
 cum pro se invicem 21. paterentur.
 Sciebat mater , quod filius pateretur pro
 se , id est , matre , sicut pro reliquis re-
 dimendis : sciebat filius , quod suus
 gla-

20. Sicut pecora suum pabulum , sic nos spi-
 ritualem cibum nostrum , Verba & Exempla
 Christi , non solùm degustare vel deglutire , sed
 ruminari , ac masticare , & nobis meti pīs bene
 applicare debemus , ut adipe , & pinguedine De-
 votionis repleamur , & in virtutibus solidis cres-
 camus.

21. Jesus & Maria patiebantur non modò
 simul , sed etiam pro , & propter se mutuis ra-
 tionibüs , causis , ac modis.

gladius matris animam ex compassione pertransiret. Unde passio Fili erat passio Matris : & vicissim passio Matris erat passio Filii. 22. Eja ergo Christiane ! hæc volve ac revolve in corde tuo , & totum cor tuum 23. reple convitiis & pennis Domini & sponsi tui , videns illum tanta innocenter propter te sustine-
re. Si enim illi per amorem bene unitus fueris , tunc valde compatieris eidem : Si autem non sentis dolorem capitis tui , quomodo es unum cum illo ? Certe sicut plus compatiendum est capiti , quam cæteris membris : ita Illi incomparabiliter plus compati debes , quam ulli etiam dilectissimo parenti , vel amico : Imo plus quam tibi ipso , si hæc omnia prædicta patereris. Nunc ergo charissimi , felle , absynthio & myrrha jugiter inebriemur , 24. & sola ejus vulnera sentiamus : transfigant cordis nostri intima ejus convicia , fla-
gel.

22. Et ideo Passio D. N. J. Christi Communi-
batur , sustinebatur à B. V. & Matre Maria : istaque
compassio , & desolatio excruciatbat Iesum.

23. Cor tuum , cogitationes , considerati-
ones , & affectiones tuas occupa &

24. Ut quis inebrietur , plura & fortiora
pocula exhaustire debet : sic nos identidem plura
investigare , & fortius nobis imbibere , appli-
care , & exercere debemus ex Vita , Doctrina ,
Passione , & Morte Christi , ut quasi ebrii his
solis immorietur , inhiemus , & adhæreamus ,

gella & vulnera, nec in nobis quidquam remaneat, quod non perfundatur compassionis dolore, & intensè affligatur.

Tertiò attendamus passionem Domini ad *admirandum*, considerantes quis, quanta & pro quibus passus est. Quis patitur? Filius Dei, summe potens, sapientia, & bonus, idque adeò, ut quicquid bonitatis & nobilitatis ei attribuas, nihil sit respectu magnitudinis suæ: omnia, quantumlibet bona sint & magna, favilla sunt, imo quædam vanitas, in comparatione illius. Quæ autem sunt, quæ patitur? Certe peregrinationem, fugam, famem, sitiūm, frigus & aestum, tentationes, horrores, persecutioes, obseruationes, sputa, opprobria, vincula, flagella, illusiones & dolores, plagas, vulnera & mortem. Consputitur enim gloria, condemnatur justitia, judex judicatur, offensus inculpatur, innocens infamatur, Deus blasphematur, Christus conculcatur, occiditur vita, obscuratur sol, luna denigratur, sidera 25. disperguntur. Et hæc omnia tolerat patienter ut agnus, qui solo nitu omnem ingratam creaturam demergere posset in profundum infer-

25. *Sidera Perfectionum Divinarum, ac Humanarum suo lumine privantur & gloria.*

fernī. Sed *pro quibus* tanta patitur? Pro vilissimis mancipiis, pro sceleratissimis inimicis, imo pro diabolicis viris, & per imitationem diaboli filiis, pro contemptoribus divinæ majestatis, & divinæ bonitati ingratis. Mirare igitur, quod talis ac tantus, talia & tanta, pro vilissimis & abjectissimis passus fit. Cæterum *à quibus* passus est? A suis eleclis & prædilectis, quibus omnem benignitatem ostenderat, à vilissimis optimus, à stultis sapientissimus, (quia Dei verbum & Dei sapientia) ab impiis püssimus, à sanie fœdissima splendor æternus. Per hæc omnia in divinæ benignitatis & largitatis admirationem grata mente elevemur.

Quarto imprimamus nobis dominicam passionem ad *exultandum*. Exultare autem in ea debemus cum intima gratiarum actione, de redemptione humana, restaurazione angelica, & divina clementia. De redemptione humana fine dubio nimis gaudere debemus, quia per Christi passionem & mortem est completa. Quis, quæso, non exultabit & gaudebit, cernens semetipsum per hanc beatissimam passionem liberatum à morte æterna, à culpæ ignominia, à potestate diabolica? Et quis non exultabit in immensum, cernens Deum altissimum,

ipsum in tantum diligere , ut tantæ vili-
tati & afflictioni subjucerit seipsum , pro
illo redimendo ? Non tamen gaudebit
de Domini sui abjectione & passione ,
sed de ejus effectu , affectusque & amo-
ris manifestatione . Quis princeps in
regno , vel imperio alicujus Imperatoris
vel Regis , cernens tantum à Domino
suo se diligi , ut paratus sit mori pro
se , non magnopere gauderet & exulta-
ret ? Quanto magis nos vilissimi ho-
mines , & nefarii peccatores , & servi
mali , gaudere debemus & exultare ,
videntes Regem regum , & Dominum
dominantium , & Creatorem nostrum Je-
sus nos tanto amore diligere , ut im-
molàrit se ipsum pro nobis in tam tur-
pem & vilissimam mortem ? Gaude-
amus igitur immensa exultatione , quod
sine comparatione plus quemlibet nostrum
diligit Jesus , quam quisque se ipsum.

Gaudeamus & exultemus , quod per
Christi passionem restaurata est Angelica
ruipa. Magna jucunditas debet nobis in-
esse , quum videmus per Christi mortem
tam nobile collegium reparari , ut fiat
unum oyile & unus pastor , & unum in
uno capite corpora. In hoc enim debet
tota cælestis curia & militans Ecclesia jure
gratulari. O amabilis & revera venera-
bilis passio Salvatoris , quæ sic disjuncta
con-

conjugit, sequestrata conglutinat, & firmissime simul unit, stringitque vinculo consummati amoris, & felicitate gaudii sempiterni. Præcipue autem gaudere & exultare debemus, videntes in supradictis omnibus miram summamque clementiam Dei & Domini nostri Jesu Christi. Et hanc puto summam esse gloriam bonorum tam hominum quam Angelorum, perfectius contemplari clementiam & benevolentiam Dei, & immensitatem bonitatis Eius. Hæc etiam debet esse cuiusvis contemplantis exultatio maximè interna in ipsis animæ medullis. Ubi enim, quæso, magis apparet diffusio bonitatis divinæ, & benignissimæ clementiæ, dulcissimi & amantissimi Patris & Domini nostri Jesu Christi, quam in passione sua, ubi talia ac tanta, tam turpia & gravia, sustinere voluit pro inimico suo liberando & glorificando, pro vanitate quadam, dignâ morte æterna, redimenda? in istud gaudium intret 26. homo, & reficiatur magnificientia bonitatis divinæ 27. Accedat ho-

I a mo

26. Majus intrare non potest in minus; ergo cum gaudium Dei nostri sit omnino infinitum, ipsum in cor humanum intrare non potest, sed totus Homo in gaudium istud intrare debet.

27. Accedat homo ad cor altum, nimirum ad Amorem Dei per Meditationes, Orationes, ada-

mo ad cor altum, & in corde suo exaltetur excellentissima & inenarrabilis clementia Christi passi.

Quintò etiam consideremus beatissimam Christi passionem ad cordium nostrorum *resolutionem*, 28. & perfectam transformationem in ipsum. Quod fit, quando homo non solum imitatur, compatitur, admiratur, exultat, sed etiam totus convertitur 29. in ipsum Dominum nostrum Jesum Christum crucifixum, ut jam quasi ubique, & semper sibi crucifixus occurrat. Imo tunc verè in ipsum resolvitur, quando exiens 30. ex se ipso,

&

admirationes, timores, Amorésque filiales: & corde, ore, ac opere suo exaltabit, exultabitque æternam, immensam, & incomprehensibilem Clementiam, Dilectionémque D. N. Jesu Christi.

28. Cera, vel plumbum, si resolvitur per ardorem, facilimè recipit figuram moduli sui: sic & Homo, etiam durus, gravis, ac frigidus, per longiorem, & attentiorē considerationem & Imitationem Jesu Christi tandem se *resolvit*. disponit, & Jesu Christo simillimum se facere contendit:

29. Ut *totus* & in omnibus, atque per omnia convertatur, & transformetur in ipsum, non jam per solam *dilectionem*, sed & per omnigenam *affimationem*.

30. Ut jam in omni loco, actu, motu, gestu, & temporis momento aliquam Virtutis Christi imitationem vel inchoet, vel continuet, vel perficiat.

& omnia supergrediens , 31. imo supra se ipsum abstractus ab omnibus , totus est 32. conversus in Dominum suum passum , ut nihil videat , nihil sentiat intra se ipsum , nisi Christum crucifixum , illusum , probris affectum , & passum pro nobis ex amore nostri .

Sextò consideremus eandem beatissimam Domini passionem *ad quietem* 33. dulcoris interni , quod fit , quando homo sic , ut dixi , resolutus , sitibundo corde eandem passionem ruminare non cessat , & intrans 34. secundum posse suum , infinitum illum passionis thesaurum , humiliter & devote liquefcit 35. amore de-

I 3 vo-

31. Ex semitipso *sgredi* , est inordinatum suis amorem reicere , ac relinquere ;

Omnia *supergredi* est relictis omnibus soli Deo & D. N. J. Christo appropinquare , ac adhaerere cogitationibus , studiis , intentionibus , curis , & affectionibus suis ,

32. Ut jam nihil sentire , & curare videatur , nisi Jesum Crucifixum , Eiusque Imitationem , Conformationem , & consolationem .

33. Ad *quietem dulcoris* , i. e. , ad quietam interne Devotionis conservationem .

34. *Intrans* , magis ac magis considerans , fibique applicans .

35 *Liquidum* fluit ; sic amor ex devotione liquefactus per frequentatos , & continuatos actus suos fluit , ac ruit ad Christum , &

voto , & fervida devotione , & ardentis
dilectione deficit à se , 36. & requiescit
in Christo crucifixo. Sed quanto illi
plus inhæret & innititur , tanto amplius
devotissimo amore à se deficit & lique-
scit : & quanto plus à se deficit per
amorem & devotionem , tanto amplius
eidem dilecto pro se mortuo inhæret ,
unitur & requiescit 37. in eo. Et si
muruo sese augent adhæsio amoris &
devotionis , donec sponsa , id est , anima
tota absorbeatur 38. ab ardenterissimo illo
camino amoris & passionis sponsi præ-
dilecti , in cujus amplexibus obdormiens
39. requiescit.

Me-

36. Deserit feme tipsum.

37. Inhæret per fidem & cognitionem , uni-
sur per spem & Charitatem , requiescit per frui-
tivam possessionem.

38. Modica aqua flumini unita absorbetur ab
eo : sic etiam amor noster , modicus & imper-
fectus , si immenso , æternoque rogo , vel ca-
mino Amoris Divini unitur , totus ab eo con-
cluditur , & absorbetur.

39. Amplexus isti sunt mutui , & spirituales
actus Amoris intensi : & Obdormire hic est alia
omnia nihil æstimare , vel nullatenus curare ,
sicut dormiens curas omnes deponit , ut requie-
scere valeat.

Meditare igitur Domini passionem, *imitando*, ad purgationem mentis & dilectionem: *40. compatiendo*, ad amorem & unionem: *admirando*, ad cordis elevationem: *exultaudo*, ad cordis dilatationem: *resolvendo*, ad perfectam conformatiōnem: *quiescendo*, ad devotionis conservationem.

I 4

Ut

40. Vita & Doctrina, Passio & Mors D. N. J. Christi considerari debet

a. Cum *Imitations*, ut purgemur à vitiis & illustremur, exornemur, ac confortemur *Virtutibus*:

b. Cum *Compassione*, ut Iesum, & Mariam consolemur & lucremur:

c. Cum *Admiratione*, ut Honorificemus Iesum. & humiliemus nosipos:

d. Cum *Exultatione*, ut in Amore sancto dilatemur, & proficiamus:

e. Cum *Resolutions* plenaria, ut plenam & perfectam con — & trans — formationem exequamur:

f. Cum *quiete*, & ad *quietem* perpetuas Devotionis, Devotaeque fruitionis, ac Familiaritatis,

*Ut quaque superflua 1. & impedimento
2. abjicias.*

EXERCITIUM IX.

Nono circumcide 3. animam tuam se-
vere 4. ab omni cognitione , amore
& recordatione creaturarum , exceptis
illis duntaxat , quibus carere non potu-
eris , propter Deum & in Deo uten-
dis. Et custodi sensus 5. tuos omni
tempore stricte ab omni superfluitate ,
vanitate , & otio. 6. Et conserva cor-
pus tuum semper in simplicitate ,
sobrietate & paupertate. Et perfecte
se- :

1. *Superflua* semper sunt periculosa , & sœ-
pe fiunt peccaminosa , hinc amputentur , & abi-
cientur tam ab usu , quam ab affectu , amore ,
cura & sollicitudine nostra , oportet , expedit ,
& necesse est.

2. *Impedimenta* propria & aliena , intrinseca
& extrinseca aut removenda sunt , aut vincenda
Resolutione Heroicæ.

3. *Circumcidere* , i. e. , libera , & evacua.

4. *Severè* , non obiter , vel blandè & in-
stabiliter iis sed integrè , heroicè , constanter us-
que ad iuternacionem , & usque in finem.

5. *Propter Deum* , & in *Deo uti* possumus
& debemus illis , quæcumque sunt necessaria ,
vel utilia statui , & officio nostro.

6. *Superfluitas* blanditur concupiscentiæ pro-
priæ : *Vanitas* inhiat laudi humanæ : *otium* fu-
git labores &c.

Semel 7. abjice omnia, quæ tibi unquam medium 8. aliquod præstare potuerint inter Deum & animam 9. tuam, vel unico temporis momento. Ut autem istud fructuosè implere valeas, attende diligenter omnia, visibilia & invisibilia, creaturasque sensiles & insensiles, quæ tibi media & impedimenta 10. peperrunt, & adhuc parere possent: & tunc veram integrumque ab illis fac aversionem, abscissionemque, 11. & perfectam tui ad Deum conversionem. Expendes quoque, an in tali sis loco 12. & statu,

I 5

in

7. In *simplicitate* vestitūs, *sobrietate* victūs, & *paupertate* suppellectilis, librorum, utensilium &c.

8. *Semel* pro *semper* per Heroicum actum; vel Propositum.

9. *Medium* distrahens, elongans, vel omnino separans à perfecta Dilectione, & perpetua recordatione Dei.

10. Huiusmodi *media* *visibilia* & *sensibilia* sunt Creaturæ materiales, caro propria &c. *Invisibilia* & *insensibilia* sunt affectiones & Passiones inordinatæ, curiositates, vel errores Intellexus, malæ consuetudines, tam privatæ, quam publicæ sive communes, diaboli tentationes &c.

11. Quocumque, vel quæcumque *impedimenta* deprehenderis, ea omnia detestari serio, & efficaciter reiicere debes.

12. *Locus*, *status*, & *officium*, quædiu sunt in arbitrio nostro, eligi & mutari possunt, ac debent, si nos impediant à Perfectione salutis & Virtutis:

in quo perfectus fieri queas : quem si nondum elegisti , adhuc eligas oportet. *Abscindenda* 13. insuper & resignanda 14. tibi sunt omnia externa , quæ sunt ultra veram & justam necessitatem : quā sola , paupertatis Christi amore , contentus sis , videlicet binis , id est , mutatoriis tunicis , & aliis , iisque tantum necessariis vestibus , libris paucis , sobria refectione unica , vel bina in die , juxta temporis rationem , eligendo in omnibus viliora , ut humilis simplicitas ubique ex te , tuisque studiis 15. reluceat. Nam exterior desiderata paupertas mirum in modum cooperatur vero profectui & paci cordis , quando etiam necessariis libenter cares , illisque cogente necessitate cum tædio & aversione in simplicitate 16. uteris. Ad hæc valde

13. Ubi autem hoc jam non licet , aliis remediis impedimenta removeantur , oportet.

14. *Abscindenda* , amputanda , removenda , relinquenda , & Divinæ Voluntati , vel Superiorum dispositioni , penitus resignanda , cum plena & perfecta indifferentia ad habendum , vel non habendum.

15. *Tuisque studiis* , desideriis , intentionibus , moribus &c.

16. *In simplicitate* , i. e. , cum recta & simplici voluntate adimplendi Voluntatem Divinam.

17. *Abdicatio* , i. e. , abnegatio , suppressio , vilipensio.

de conducunt abdicatione 17. omnis quæsitæ delectationis; voti emissio, si consultum videbitur; creaturarum omnium fuga; ad Deum fortis adhæsio; obedientia simplex; 18. voci Dei & superioris tui: 19. diligens custodia cordis, oris, & operum tuorum, & id genus alia, quæ velut opportuna admicula sunt assumenda: 20. impedimenta autem resecanda: 21. juxa testimoniū conscientiæ tuæ, aut moderatoris tui, facta diligentि perscrutatione, ne intus 22. aliquod stabile 23. & inhærens vitium, licet minimum: aut foris quicquam superfluum aut curiosum, tibi maneat; quia illo stante 24. Spiritus sanctus perfetè in te operari nunquam poterit. Nam peccata, etiam graviora, 25. in quæ ex im-

18. *Obedientia simplex* non admittit vel superbam Curiositatem, vel multiplicem Intentiōnem, sed immediatē soli Deo obedire, & placere satagit.

19. *Voces Dei*, sunt Inspirationes Divinæ, vel Angelicæ.

20. Assumenda, observanda, retinenda, & perficienda:

21. Secundūm quod conscientia propria, vel Directio legitima, hæc mandat, & inculcat.

22. *Intus*, i. e., in anima tua *stabile*, & consuetudinarīpum.

23. *Foris*, i. e., in externis moribus.

24. Illo stante, i. e., sive unum, sive alterum non removeris, & emendaveris.

25. *Graviora*, nimirum inter venialia.

improviso incidimus & quæ deplangimus,
facilius remittit Deus , quam minimum
vitium inhærens , 26. quod non agnoscimus , aut emendare non euramus.

Ut omnem i. hominem diligas sicut te ipsum. 2.

EXERCITIUM X.

Decimo exerce te in vera 3. dilectione omnium hominum , juxta exemplum & charitatem Jesu Christi , qui summa & ardentissima dilectione & desiderio omnibus sese totum impendit 4. hominibus , docuitque & præmonstravit illis viam salutis & perfectionis , idque vera &

26. *Inhærens* , & per Consuetudinem in naturam conversum ; nam & nos homines magis diligimus , & patientius toleramus eos , qui hinc inde errant , peccant , & nos contristant , quam illos , qui perpetuo in uno vel in altero , fine omni follicitudine nos offendunt , & incorrigibiles manent.

1. *Omnis homo neminem excludit , nec inimicum , nec ingratum , nec peregrinum , deformem , ægrotum &c.*

2. *Temetipsum non ad corporales delicias , non ad temporales divitias , non ad vanas laudes , & familia diligere debes , sed ad veram , perfectamque sanctitatem in hac , & in altera Vita ad Felicitatem æternam &c.*

3. *Nam vera dilectio ante & per omnia , in — & ex omnibus hæc intendere , & procurare debet , alias Carnalis vel diabolica evadit.*

4. *Impendit , & superimpendisset.*

& perfecta *vita*, sanctaque & divina *doctrina*. Dedit quoque se ipsum voluntariè & amorosè in omnem pœnam, contumeliam & confusionem, quæ propterea super ipsum cadere poterant. Quapropter si verè vitam Eius assumere volueris, ipsum in hoc imiteris oportet: ducasque semper sanctam & deiformem 5. vitam coram omnibus hominibus, ut per tuam vitam trahantur ad imitationem vitæ Jesu Christi. Ostendes insuper & docebis proximum tuum bonis adhortationibus viam salutis æternæ. Hinc interdum 6. accedens proximum tuum, loquēris cum eo de virtutibus, ex quibus melior fiat, ut attendere & imitari velit vitam & amorem Jesu Christi: consideret quoque nobilitatem animæ suæ, nimirum quomodo Deus sum ipius imaginem illi impressit, eam per semetipsum redemit: quodque amor Dei vita sit animæ, quemadmodum anima ipsa est vita corporis: & sicut corpus moritur migrante ex ipso anima, ita anima mortua est absque amore Dei. Hæc & alia

5. *Deiformis* vita est vita Dei Perfectionibus, & Christi Moribus conformis.

6. *Hinc*, i. e., ex hoc, & cum hoc motivo: *interdum*, & non sæpius, ne tedium, aut perditio temporis subnascatur, altoqui, vel colloqui licet, expedit, & decet, nisi prohibiciones legitimæ, vel occupationes necessariae hoc impedian.

alia proximis suggestes , quæ Spiritus sanctus docebit , præsertim tibi commissis ; vicinis , aut doctrinæ capacibus : credens Deum animas illorum , quas salvare potueris , à te requisitum tanquam membra 7. tua. Neminem igitur judices , contemnas , contristes aut lædas : sed diligere omnem hominem , tanquam teipsum , imo aliqualiter plus quam teipsum , utpote te meliorem. Quod ut citius obtineas , persuade tibi omnem hominem esse te ipsum , 8. quia sumus invicem membra ; illique congaudeas , 9. condoleas , servias , & benefacias : 10. opera quoque misericordiæ corporalia & spiritualia toto corde 11. impendas ei , sicut tibi ipso. Quamobrem assuesce , quam

ci-

7. Sicut qui corpus suum diligit , omnia membra in statu sano conservare studet : sic omnis , qui totam Electorum Familiam diligit , omnes , & singulas partes individuales sanctificare , & beatificare satagit.

8. Omnis amans , amati prospera & adversa , quasi sua , apprehendit & sentit.

9. Congaudeas prosperis , Condoleas adversis , servias superioribus , benefacias Inferioribus &c.

10. Toto corde , i. e. , cum sancta Intentione quando , quamdiu , quantum , & quommodocunque potes , salvâ omni Justitiâ , Obedientiâ , Castimoniâ , & Parsimoniâ &c.

11. Motum , five rationalis , five irrationalis hominis cogitationem , aut imaginationem &c.

Ciro senseris aliquem motum displicentiae aut amaritudinis contra quemcunque hominem, seu quodvis aliud vitium 12. tibi incidere, statim levato dulciter 13. in Deum corde id à te repellere, tanquam virus diaboli, quo nititur charitatem 14. in te necare vel minuere, aut saltem tepidum te facere, & à cursu 15. proficiendi remorari. Nam ex nostra interdum tepidate 16. contingit, quod noxiæ cogitationes, à nobis repulsæ, sæpe redeant, & magnum nobis spiritualis lucri impedimentum 17. parturiant, tametsi illis non consentiamus: quando dissimulamus totis

12. *Quodvis aliud vitium* significat hic quemlibet defectum, naturalem, moralem &c.

13. *Dulciter*, fine violentia, impatientia, tristitia, diffidentia &c. quietè, tranquillè, & devotè &c.

14. *Charitatem*, utpote quæ *Patiens est, Benigna* &c. non cogitat malum &c.

15. *Currens* nullibi perdit tempus currendi, ut quam Citissime veniat ad locum sibi præfixum: & suæ salutis, sanctitatis, Perfectionisque sollicitus prosecutor nullis huiusmodi distractionibus moram aliquam permittere debet

16. *Tepidum* claudicat in utramque partem, frigoris & caloris: & tepidus homo trahitur, atque distrahitur in omnem ventum incidentiarum, phantasiarum &c.

17. Quæ valde impediunt Recollectionem, Devotionemque; vel omnino inducunt in temptationes, & peccata.

tis viribus nos in anteriora extendere, 18.
 & divinis nos desideriis continuè pro viribus occupare : ideò ex nostra tepiditate aditum redeundi ad nos facile inveniunt hostes animarum nostrarum : quamquam etiam interdum non nostra culpa, 19. sed solo Dei permisso ad nostri exercitacionem, hujusmodi cogitationes nos fatigent.

DE VIA UNITIVA. 1.

*Ut vivas abique omni creatura, peccato,
 & delectatione. 2.*

EXERCITIUM XI.

Undecimo exercebis te ad perfectam
 cum Deo tuo unionem obtainendam.

Hæc

18. In anteriora extenditur, qui plura & majora Virtutum merita congregat : plurésque ac perfectiores Virtutum actus exercet.

19. In Huiusmodi tentatione nihil negligere, sed Humiliores, fideliores, gratiores, ferventiores ac diligentiores aut fieri, aut manere debemus.

1. Omnis vita nostra est via, in qua vel *progredimur* per actus virtutum, quasi per gressus animæ, ad Unionem Dei, quæ fit per Considerationes, & Cognitiones Intellectus, per Affectiones Voluntatis, & per cogitationes seu recordationes Memoriæ humanæ: vel *regredimur* per peccata ad mortem culpæ & pænæ.

2. Vivas abque omni Creatura, quam inordinate diligis: absque omni peccato, proprio & alieno, cui consentis: & absque omni delectatione licita, quam inordinate appetis, & voluptuosè percipis, quin eam cum gratiarum actione ad Deum referas.

EXERCITIUM UNDECIMUM. 25

Huc autem unio perfectam requirit denu-
tationem 3. & expolationem ab omni
creatura , ab omni peccato , & ab omni
delectatione. Ab omni *creatura* in affectu
& intellectu , quantum possibile est , nu-
datus vivere satanas oportet , ita ut etiam
à te ipso & omnibus rebus ita nudus 4.
fieri & permanere ferventer desideres , si-
cūt nudus ante tribunal Christi 5. stabis
& sicut anima tua nudè & pure ex Deo flu-
xit , 6. ut sic absque ullo medio 7. Crea-
tori valeas uniri. Vives etiam absque
peccato , aut si hoc vix possibile est , forti
aversione ab omni peccato , & ferventi
conversione ad omne bonum , quod Deus
est , sic 8. vivere desiderabis : quia om-

K

ne

3. Perfectè uniri non possunt , quæ aliquid
habent intermedium : sic & anima Deo uniri
dequit perfectè , quamdiu vel creature amor
vel peccati consensus , vel delectationis appeti-
tus ipsam distrahit , elongat , vel omnino se-
parat à Deo suo.

4. *Nudus* , liber & liberatus , sicut &c.

5. Ante tribunal Christi distractiones , &
amores rerum , hominum ; peccatorumque om-
nium cessabunt.

6. *Animæ* , dum ex Deo fluxit , sicut ex
fonte rivulus fluit , i. e. , dum creata est à
Deo , nullo amore inordinato creature , pec-
cati , & delectationis infecta aut involuta fuit.

7. *Medium* hic semper impedimentum aliquod
significat.

8. Sic , nimicrum absque omni creature
metato , & delectatione &c.

ne peccatum , quamlibet minimum , impedit 9. hanc unionem . Quapropter animam & corpus tuum ita custodes ; ut nullum membrum moveas , nisi in Deo . 10. Vivas etiam necesse est absque omni delectatione : Et hoc similiter affectu & desiderio 11. supplebis , quod opere prastare non vales : quia quando delectationem aliquam habueris in te ipso , 12. Deus propterea negabit tibi delectationem & suavitatem , quae ipse & in - & ex ipso est . Talis autem vita sit tibi semper in desiderio , 13. ut extremum posse tuum impendas huic viae : Et tunc per hoc exercitium invenies te in multis ha- gere , 14. à quibus te immunem puta- veras . Idcirco semper cavere stude , ne peccata etiam minima delectent te propter se . Pro te quidem desiderabis , quod panis non plus tibi sapiat , quam la-

9. Impedit , quia saltem distrahit à Deo .

10. In Deo , i. e. , propter , & secundum Vo- luntatem Divinam .

11. Affectu sincero , efficaci desiderio , & fir- mo propulo .

12. In teipso delectationem habes , si hanc appetis , vel percipis contrà Voluntatem Di- vinam , vel sine relatione in Deum .

13. Desiderium istud pro viribus conservari , augeri , & adimpleri debet , alias Deo , tibi , & aliis mentiris .

14. Hærere , & adhuc variis imperfectionis bus , temptationibus &c. obnoxium esse .

lapis : sed pro Creatoris panis gloria ,
 placebit tibi , quod panis plus sapiat ,
 quam lapis : moxque debes in panis
 sapore & delectatione transire ad Deum ,
 & gustare Creatorem panis : Et tunc fiet
 tibi insipidus panis . Pari modo facien-
 dum est cum omni delectatione , cui non
 est annexum per se peccatum : quia Crea-
 toris admirabilis suavitas ; delectationem
 infundit omnibus rebus creatis . Nullum
 ergo medium 15. ex creaturis in ter-
 residere patiaris , sed ab omnibus exutus
 atque nudatus , nudam divinitatem 16. abs-
 que medio aliquo creaturæ (ut est crea-
 tura 17.) accedes , quia Deus absque me-
 dio te uti desiderat . Nec in hoc Sancto-
 rum invocatio (quae propter Deum & in
 Deo fit) te impediet , quia ipsi sunt unus .

K 2 spir-

15. Creator infundit delectationem multipli-
 cem creaturis , non ut his inheremus , sed
 ut per creatas cognoscamus , & super omnia
 diligamus summam Creatoris bonitatem , Suavi-
 tatem , Charitatēmque : ne non ut in laboribus ,
 doloribus , & angoribus nostris licita habeamus
 solatia .

16. Nudam Divinitatem accidis , si cogita-
 tiones , & amores tui sine involucris omnibus
 genarumcumque Creaturarum , similitudinum , &
 imaginationum querunt , cognoscunt , vident ,
 amplectuntur , & fruitivē possident , ac gustant
 Deum & Dominum nostrum Jesum Christum .

17. Creatura ut Creatura vel non refertur
 & ordinatur ad Deum , vel non est in Deo ,
 scit Idea in Artifice est .

Spiritus cum Eo. **Praecipuum** tamen studium tuum versabitur circa contemplationem Dei tui , quem 18. **videas** omnia bona in omnibus hominibus operantem , quamvis etiam minuta , ut est movere articulum unum ad bonum ; Nam hæc ipsa motio , Dei est , qui est vita animæ. Igitur continua introversione stude , quantum potueris , vivere in omnimoda abstractione & nuditate 19. intellectus & affectus ab omni *creatura* , *peccato* , & *delectatione* : quia hæc tria fideliter & diu exercitata , faciunt hominem versus cœlestem & angelicum , 20. ita ut liberrimè frui possit Deo suo , prout sola experientia docebit. Idcirco intellectum tuum & affectum semper magis purificare studeas ab omnibus phantasmatibus & imaginibus , exemplo crucifixi Jesu , magis eligens amara quam dulcia , contumeliam quam honorem , penuria m quam abundantiam : ut sic puro corde Deo adhærens , unus cum Eo spiritus efficiaris. Aliter tamen exercitium istud usurpabit su-

18. *Videbis* per oculos fidei tuæ.

19. Ut Intellectus & affectus ad Deum , & in Deo recolligi valeat , prius abstrahi & liberari , ac denudari ab omnibus creatis debet.

20. *Homo Cœlestis & Angelicus* , secundum illud : *Nostra converratio , spes , cogitatio , & affectio , & occupatio in Cœlis est , sicut illarum Angelorum Sanctorum.*

superior, aliter subditus : aliter innocens, aliter injustus . aliter incipiens , aliter perfectus.

Ut autem facilius ad omnium rerum abnegationem , ad divinæ bonitatis , & tuæ indignitatis cognitionem , & ad fraternæ dilectionis dulcedinem pertingas, & brevi tempore obtineas , quod multis annis , imò tota vita sua proprietari , etiam magnis laboribus, non percipiunt , revolve in memoria tua studio indefesso , vel saltem habitualiter , & virtualiter in intentione tua circumfer binas has nobilissimas virtutes , videlicet *humilitatem & dilectionem* , diutissimè 21. ruminando , & tibi imprimendo hæc verba , *Nibl sum , Nibl babeo : Nibl præter unum concupisco*. Humilitas vera dicit , *Nibl sum* , (ex conditione & vitio meo) *Nibl babeo* , (nam quicquid in creaturis , aut donis Dei extra Deum habeo aut habere possum , quicquid video , audio vel percipio , in me & ex me prorsus nihil est) *Impotens , infipiens , & nibil sum , nibil valeo , plenus peccato , & miseria* : ideo de me ipso penitus despero . Amor autem sive dilectio Dei dicit : *Nibl nisi sum solum Deum meum desidero . Confide ergo anima mea Iesu Christo & bonitati illius , & fuge totam cogitationem & totum desiderium*

gium tuum in consideratione ejus : quia quanto minus videris habere à temetipso, tanto plus cupies, poterisque habere amoris 22. à Domino tuo Iesu Christo.

Est autem *duplex* humilitas : *Una*, quæ ex agnitione peccatorum & propriæ vilitatis, ex dictamine rationis oritur, quam maximè erga proximum tuum exercere convenit, cuius comparatione te ad nihil rediges, & omnibus hominibus viliorem & inferiorem te ex animo reputabis: & tam pro illorum, quam pro tuis peccatis, à Deo tuo tibi præfente humiliter veniam postulabis: ipsosque excusabis, non credens, quod alii peccatores tantum à Deo sint elongati, quin sæpe, et si non semper, sese ad Deum convertant, & sinceriori ipsum affectu diligent & honorent, & fidelius de peccatis suis doleant, & sese emendare proponant, juxta gratiam sibi à Domino datam, quam tu. Nec credas inveniri hominem, si tot & tanta peccata commisisset ut tu, totque gratias & beneficia à Deo recepisset ut tu, qui non multo ferventius Deo serviret, quam tu. Quod si hoc pleno corde sentire non potueris, eo ipso te reputes superbissimum, & omnibus aliis hominibus viliorem, propter tuam hypocrisim, insanam-

22. Bonorumque aliorum.

suntque superbiam, Deo maximè odibilem : quæ te revera excacavit, ut te ipsuni non agnoscas, neque videas, quod quo plura à Deo recepisti dona, eo graviora sint tua peccata & negligentiae, & eo stricior à te exigetur ratio de singulis. Et hanc, ut dixi, humilitatem operatur dilectio per rationem, qua se ipsum homo estimat omni creatura viliorem, omnique tormento & contumelia dignissimum. Estque incipientium & proficien-
tium, ut præcedere debet, fundare, & confirmare hanc sequentem humilitatem.

Alteram humilitatem, quæ est perfectorum, operatur dilectio per semetipsum : quam in se sentit anima per visionem & cognitionem spiritualem Iesu Christi. Enimvero quando Spiritus sanctus illuminat rationem in visione 23. Iesu Christi, ad considerandum perspicue sanctæ humanitatis Eius humilitatem, & ad gustandum utcunque de bonitate divinitatis illius, mox anima tantam dilectionem & gaudium percipit in illa visione spirituali (quæ 24. vera, sancta & deliciabilis est;) quod obliviscitur 25. sui

K 4

ip-

23. In contemplatione.

24. Quæ, i. e. si

25. Qui intensè occupatur cum uno, obliviscitur aliorum : sic etiam hic intensè, intensè, vel. intenſissime considerans, admirans, & Amans Iesum obliviscitur magis, vel minùs, vel penitus omnium rerum,

ipsius & omnium rerum , & tota insicitur
 26. dulcissimo Domino suo Iesu Christo ,
 ex tota dilectione , qua fertur ad considerandum Eundem . Non attendit hic
 sua peccata prius commissa , nec propriam
 indignitatem , sed pro nihilo putat se ipsam cum omnibus peccatis & bonis operibus , quae unquam fecit , ac si nulla res
 esset , 27. nisi Dominus noster Jesus Christus .

Stude ergo per considerationem humilitatis & charitatis Iesu , vel plena fide ,
 vel etiam sentiendo 28. te ipsum non solum minimum , sed etiam quasi nihilum
 judicare , & cum omnibus tuis exercitiis & operibus bonis transactis ad nihilum
 redigere , & ab omnibus denudare : &
 in paupertate spiritus sentire , te nihil esse , & omnia bona tua soli Domino Iesu Christo adscribere , ut substantia tua sit
 tanquam nihil ante illum , non jam deinceps te existimans aliquid esse , quum nihil sis : quia comparatione haud dubio
 increatae & incommutabilis divinæ substantiæ Domini Iesu , (qui solus veram
 habet essentiam , & est omnia in omnibus)

26. Innitur , i. e. , confidit , & adhaeret
 27. Ac si nulla res esset curanda , vel restituenda ,
 28. Sentiendo per sanam rationem , & bonam ratiocinationem ,

bus) tu & omnia nihil sunt. Nam omnes
ge tes , quasi non sint , sic sunt coram Eo.
Et hoc pacto non judicabis proximos tuos
bonos vel malos , sed æqualiter omnes
creaturas respectu Domini Jesu , eiusque
humilitatis & dilectionis , misericordia &
gloriae , senties tecum esse nihil , cum ex
nihilo factæ sint , & in nihilum redirent ,
si ab eo non conservarentur.

Quando ergo dilæctio per donum
Spiritus sancti aperit interiorem oculum ,
29. ad considerandum hanc veritatem
cum aliis circumstantiis , tunc anima ve-
rè fit humilis , quia videt se ipsam sicuti
est. Et tunc non considerat se , nec
innititur 30. sibi ipsi , sed tota tendit in
cognitionem & dilectionem Jesu , stabili
meditatione & desiderio ipsum assidue
considerans , admirans , amans , imitans ,
consolans , & glorificans.

Et tunc multo perfectius operatur
magna opera , tum interna , tum exter-
na , quam antea solebat. Ista visio 31.
animam etiam confortat & elevat tam
mirabiliter & suaviter , quod non potest

K 5 gau-

29. Interior oculus est intimior & sublimior
cognitio.

30. Innititur , i. e. credit , confidit , parcit
ibi .

31. Visio , cognitio , & recognitio .

gaudere de hujus mundi aliquo gaudio,
neque de ejus adversitate contrastari :
quia manet immobilis & insensibilis ad
omnia , 32. in solo Jesu requiescere cu-
piens : habensque oculos suos 33. sem-
per ad ipsum :: qui ab omnibus laqueis
& temptationibus evellit pedes 34. ejus,
destruitque omnes motus superbiae &
vitiorum valde occulte : protegens eam
à timore nocturno , 35. à sagitta volan-
te in die , à negotio perambulante in
tenebris , ab incursu & dæmonio meri-
diano : & per sanctam simplicitatem ,
quæ est occulta quædam semita , de-
du-

32. Qui est immobilis vel in amore , vel in
gaudio , vel in luctu , vel in alia Passione Hu-
mana , redditur *insensibilis* ad omnia alia &c.

33. *Oculos suos* , tam corporales , quam spi-
rituales.

34. Sicut laquei ponuntur ad capiendos pe-
des volucrum , iuc temptationes fiunt ad decipiendos
affectus Hominum ; sed ex his , & ab his
liberat & præservat nos Jesus ita cognitus , re-
cogitatus & amatus .

35. *Timor nocturnus* est omnis timor male
humilians , & inordinatus . *Sagitta volans* est
inanis gloria , vana complacentia , laus humana .

Negotium tenebrosum sunt omnes immundi-
tiae , astutiae , fallacie , hæreses , & occultæ
violentiae . *Incursus meridianus* sunt apertæ
hominum , & dæmonium meridianum sunt ma-
nifestæ dæmonum temptationes & tribulationes .
Vide S. Bernardum in Psalmum : *Qui ho-
bitat &c.*

ducens eam ad stabilem secum unionem, qua manebit in Deo, & Deus in ea. Ut autem pro hac felici unione obtinenda, ignitis aspirationibus, cum profundissima sui resignatione, continuè laborare debeat, nihil nisi unum, quod solunt est necessarium, desiderans, in sequentibus latius explicabitur.

*De aspirationibꝫ, resignatione, &
postulatione.*

EXERCITIUM XII.

Duodecimo fortiter te exercebis in exercitio quadriformi aspirantis & unientis amoris, 1. utens in tua operatione affectu potius quam intellectu: consurgensque 2. magis per aspirationes ferventes, quam per meditationes.

Quod tamen ut obtineas, principio opus tibi erit meditatione devota colligere fasciculum 3. quemdam divini amoris

1. Amor cum amato se unit per repetita suspiria:

2. Surgitque, & elevat à creaturis ad Cre- atorem suum multò meltius per ferventes & de- votos actus voluntatis, quam per solas medi- tationes, altas speculations, & similia.

3. Fasciculus plura in se continet, tunc etiam nos plures Perfectiones, plura beneficia Dei considerare, & recogitare identidem debemus, ut amore nostrum erga ipsum accendamus, agemus, exerceamus,

ris ex beneficiis , quæ Christus tam secundum divinitatem , quam humanitatem suam tibi præstítit , ad inflammandum videlicet cordis tui igniculum : 4. quorum maximum est ejus passio , cuius opus inspicias ad compatiendum , modum ad imitandum , & causam , id est , charitatem illius erga te infinitam , ad inflammandum cor tuum : donec assuefactus , tandem absque prævia meditacione , in primo reflexu mentis , affectus tuus validè erga Deum incalescat , quoties volueris . Et hæc inflammatio est unicum instrumentum & tota radix vita contemplativæ , unde consurgit aspiratio ad amorem unientem , qua scilicet fidelis anima aspirat flammigeris 5. desideriis , ut per amorem , upiri possit infinito amori , qui Deus est , & ab eo penitus absorberi .

Ut autem ad illius amoris consuetudinem pervenias , assuesces omni loco & tempore , orationes ignitas & ejaculations ad Deum , mille 6. modis , magno cum fervore emittere , atque ex humili , abstracto , 7. resignatoque corde in cor 8.

4. Cordis nostri igniculus est modicus & incipiens amor noster .

5. Flammigeris , i. e. , fervidis & devotis .

6. Mille , i. e. variis .

7. Abstracto à creatis .

8. Dei conjicere , ut det tibi perfectum
tui ipsius & omnium rerum contemp-
tum , tēque totum unire sibi & absor-
bere dignetur in immenso amoris sui
incendio . Hoc namque exercitium uni-
versis amoris , initium 9. est & finis om-
nis perfectionis : quod cum magna vio-
lentia 10. spiritus , exercendum est , per
quod omnes tentationes & media inter
Deum & animam , statim auferuntur
& ipsa magno impulsu perurgetur festi-
nare ad altissimam Dei similitudinem ,
perfecta scilicet omnium vitiorum mor-
tificatione , & virtutum adeptione : pe-
netratque 11. omnes tentationes & oc-
cupationes , & quicquid infra Deum est ,
in momento , & animam ante nudam
Dei praesentiam constituit , cui se se im-
mediatè unire desiderat .

Ammen oportebit te diu præ fori-
bus

8. Cor hic summitur pro voluntate.

9. Quia Perfectio Sanctitatis consistit in per-
fecto amore Dei , hic ipse amor Perfectionem
inchoat & consummat .

10. Violentia ista nunquam degenerare de-
bet in anxietatem , inquietudinem , vel pertur-
bationem aliquam .

11. Penetrat in momento omnia , quia im-
mediatè ad Deum elevat animam .

Dei praesentia , nuda non habet aliquid ad-
fuscatum , vel interpositum ex creatis ,

bus 12. stare , antequam Deus te volet
ad unionem intromittere. Et tunc
discretè pulsabis januam pietatis suæ his
quatuor exercitationum malleis , qui
sunt *offerte* , *exigere* , *conformare* , &
unire : quibus dilectum tuum excitabis
ad intromittendum te in unitatem Spi-
ritus : servando te longanimiter in pra-
sentia Dei **13.** per aspirationem unientis
amoris. Nullum tamen unquam ex-
ercitium cum proprietate **14.** possidebis,
sed quando senseris te alia **15.** via per
gratiam trahi ; statim dimissis propriis,
sequeris & exercebis te juxta tractum
Spiritus sancti.

Primò igitur in tua ad Deum con-
versione , Deo liberaliter in holocaustum
lau-

12. Diu præ foribus stare est diu in exte-
rioribus , aut brevioribus , Amoris actibus se
exercere , antequam inferiores , & longiores
donentur.

13. Longanimiter expectare , & perseverare
debemus in actibus virtutum inferiorum , donec
admittamus ad actus intimos , & supremos per-
fecti Amoris.

14. Cum proprietate , i.e. , cum inflexibili
adhæsione.

15. Alia via sunt aliæ cognitiones , illu-
strationes , inspirationes , exercitationes &c.
quas observare debemus , & sequi quam dili-
gentissime , & cum sancta libertate spiritus ,
sine alligatione ad consueta , vel usitata hacte-
nus exercitia .

Iudis offeras omnia , quæcunque Spiritus Dei per inspirationem si am à te exigere potest , maximè perfectam abnegationem & contemptum tui ipsius , abscissionem omnium sensualium oblectionum , quibus cor tuum inordinate posset affici , & maculari conscientia , sicut sint res parvæ , ut verba otiosa , vana societas , 16. levitas , curiositas sensuum , & similia. Offeras etiam te ad mortificationem naturalium passionum , ut sunt inordinata tristitia , gaudium , ira , amor , odium , spes , timor , 17. pudor. Etiam ad carendum voluntariè omni sensibili gratia , devotione , & donis Dei , ad salutem propriè non necessariis. Similiter ad tolerandum prompta voluntate propter Deum omnem adversitatem in fama , bonis , & amicis tuis : omnem quoque agitudinem , pœnam , afflictionem , confusionem & pressuram cordis : & generaliter ad universa , quæ alicui in tempore accidere possunt , resignabis te hilariter & cupide. 18. In-

su-

16. Vana societas Hominum , levitas motum ,

17. Passiones Humanæ sunt Amor , & Desiderium : Odium , & Fuga : gaudium & tristitia : Spes & Desperatio : timor & Audacia : & Ira .

18. Hilariter & cupide fieri Resignatio vera debet , & adimpleri , non sols verbis , sed vel maximè in opere cum patientia & constantia , quando accident nobis tribulationes , desolati- ones &c.

super offeras te divinō beneplacito, etiam si te ponere vell ad tolerandum æternū pro amore & honore suo omnes pænas inferni, duntaxat quoad ipsas pænas, non autem quoad amoris separationem, instar damnatorum; hoc enim non licet. Et quamvis Deus istud nunquam ab amicis suis exigere possit, vult tamen ut ad omnia etiam impossibilia sese resignent suo beneplacito, sine retractione 19. cordis, sicut Abraham fecit, ut probentur, quantum sibi ipsis morti velint propter Deum. Hoc autem facile poteris, si te ipsum agnoveris esse quasi vas perditum, peccatis plenum, quæ Deus Opt. Max. sua infinita bonitate tibi auferre & consumere paratus est, si te cum illis perfectè eidem resignare & relinquere volueris, quum ipse sit mons quidam amoris, abyssus 20. bonitatis, & fons charitatis. Quapropter nimis stolidus est, qui vile tugurium corporis & animæ suæ, illi offerre dubitat pro tabernaculo pretiosissimo, quod Deus est.

Cum

19. *Retractare*, i. e., excipere, excusare, resumere, nihil licet in plena oblatione, ac resignatione.

20. Deus amoris sui magnitudine, & altitudine excedit montes: sua infinita, æternaque bonitate exhaustit abyssos: & immensa Charitate sua absorbet fontes universos.

Cum vero in his omnibus te perfectè resignatum inveneris , tunc poteris plena fiducia ad aliud hujus exercitii mem-brum transire , quod est *exigere* , sicut Christus monet : *Petite , & accipietis.* *Exiges* igitur à Domino Deo tuo secun-do loco , non solum omne , quod ha-bet , sed etiam omne , quod est. Ante omnia enim petere debes ipsum nudum 21. dilectum Deum tuum , ad fruendum Eo solo in suo immenso ac nudo amore: Quia in nullo dono Dei licet homini fruendo 22. requiescere absque peccato , quantumvis nobile & divinum sit , præ-terquam in solo Deo : sed uti duntaxat debet donis Dei , ad hoc , ut ad majo-rem perfectionem ipsum evehant ac per-ducant. Nam quando in Dei donis quiescit , statim incipit tepescere à desi-derio proficiendi. Post hoc exiges à Deo tuo purissimam intellectus illumi-nationem , primo ad cognoscendum ple-nissime divinum beneplacitum : atque ad illud exequendum offeres te tam promptè atque perfectè sine retrahione cordis , sicut umbra movetur ad motum corporis , à quo fit , juxta exemplar

L

&

21. *Nudum dilectum* , i. e. , solum Dilectum , & non beneficia Eius , vel alia nobis utilia ;
22. i. e. , fruitivè.

& similitudinem vitæ Christi. Secundò ad cognoscendum plene te ipsum, hoc est, incomprehensibilem tuam vilitatem, ingratitudinem, indignitatem, ut per hoc te possis perfectè contemnere & humiliare. Tertiò ad habendum perfectam notitiam omnium verarum virtutum. Magna quoque orationis instantia labotabis pro ipsis veris virtutibus acquirendis & possidendis, & maximè pro nudo
 23. Dei amore in te magis ac magis augendo. Exiges autem ista serio valde: desideriumque augmentandi amorem tuum, fruendique increato amore,
 24. tam æstuans inter Deum & animam tuam sit, uti est coruscatio vehemens.
 25. Iste quoque implusus adeo continuus sit in te, sicut anhelitus 26. tuus:

Qui

23. *Nudus*, & ab omni alio amore liberatus est Amor Dei, quando Deus propter semetipsum, & non propter sua beneficia, aut dona amatyr, perfecto Amore Benevolentie, sine omni amore concupiscentiae.

24. Scilicet Ipsomet Deo, summo, unico, Primo, & Omni Bono,

45. Vehemens coruscatio in momento temporis illustrat totum ærem: sic etiam desideria & suspiria tua quasi in momento totam animam tuam ad Amorem Dei illustrare, & inflammare debent.

26. Halitus tuus sine intermissione exit, & intrat cor, & corpus tutum: sic etiam Amoris tui

Qui sicut absque cessatione intrat in te,
 & exit à te , ut possis vitam servare : ita
 etiam vita creati amoris consistit in se-
 dula reversione animæ cum æstuanti de-
 siderio in suam originem , id est , in amo-
 rem increatum , ut illi unicè inhæreat ,
 sicut radii 27. inhærent soli , & ipso frua-
 tur. Cætera dona Dei , ad salutem
 propriè non necessaria , ut est liberatio
 à temptationibus , periculis & pressuris ,
 revelatio secretorum , devotio & gratia
 sensibilis , non sunt absolutè exigenda ,
 sed cum conditione , si ita expedit pro
 Dei gloria & nostra salute.

De conformatione & unione cum Deo.

EXERCITIUM XIII.

Tertiodecimo loco exerceas reliqua
 duo suprà dicti aspirantis exercitiū
 membra , laborando ut dilecto tuo ma-
 L a gis

tui actus incessanter exire à Deo ad opera im-
 perata virtutum , & intrare in Deum , vel re-
 dire ad Deum debent per elicita Charitatis ex-
 exercitia. Juxta illud Christi : *Exivi à Patre ,*
& veni in mundum : iterum relinquo mundum ,
& vado ad Patrem.

27. Radii & manent in sole , & procedunt
 à sole : sic & anima diligens Deum & manere in
 Deo , & procedere à Deo debet , illud per elitos ,
 hoc per imperatos actus Charitatis perfectæ erga
 Deum , & Proximum.

pis ac magis conformeris , hoc modo ;
 Videlicet quum ignis amoris fuerit in
 corde tuo accensus , principio exures 1.
 in ipso omnem tuam dissimilitudinem ,
 hoc est , omnia vitia & defectus tuos , om-
 nes naturales passiones & immortificationes
 tuas , omnem sensuum propensionem , om-
 nem inordinatum affectum & impatientiam
 universam . Non tamen illas sigillatim
 2. recoles , sed in uno fasciculo sumes
 omnes tuas imperfectiones , & projicies
 3. in immensum ignem divini amoris ,
 ut ibidem consumantur . Deinde ar-
 denti desiderio deiformitatis consurges ,
 4. & scintillantibus ac perurgentibus
 postulationibus exiges a dilecto , ut eis-
 dem virtutibus nudam 5. animam tuam
 ador-

1. *Exures* , i. e. , deplorabis & emendabis , &
 expiabis omnia peccata tua ,

2. Quin tamen ea singulatim enumerare , aut
 rememorari velis ; nam talis rememoratio &
 tempus multum consummit , & tentationes vari-
 as causat , & meliora impedit . Sed

3. Post factam Confessionem Sacramentalem
 cum omni debita integritate & contritione , sin-
 gulis diebus , aut horis vita omnia com-
 mendabis & relinques confidenter infinitae Misericordiae , Charitati & Clementiae Dei , ut ea
 quoad culpam , & quoad poenam deleat per Merita Christi sanctorumque omnium .

4. *Consurges* ab omni tepiditate tua , &
 ferventibus , continuatis , atque instantissimis

5. *Nudam* , & *virtutibus* privatam , orbi-
 tanque ,

adornare dignetur, quibus ipse ornatus est in omnibus perfectionibus suis, tam in divinitate quam humanitate sua. Et has multò citius per flammigeras, atque assidue orationes obtinebis, quam per ullum aliū laborem externum. Specialiter verò te conformabis humanitatis Christi virtutibus, quae in despectissima & acerbissima morte illius emicuerunt, per affectum scilicet profundissimæ humilitatis, vilitatis, abjectionis, paupertatis, patientiæ, & charitatis: in quibus tam diu te exercebis, subinde renovando ac repetendo flammigeros ad Deum affectus, & quasi violentas quasdam orationes, per quae Deus potissimum dare solet suæ plenitudinem gratiæ & amoris, donec per experientiam damnis, injuriis & pœnis provocatus, etiam tempore subtractæ gratiæ, in prima & ultima cogitatione tua senseris desiderium illud patiendi pro Christo, ut illi conformeris, usque in finem in te perseverare.

Quatum deinde membrum hujus exercitii est, *unire* & transfundere 6. voluntatem tuam in divinum beneplacitum. Ut enim exercitium præcedens aspiratio-

L 3 nis

6. *Transfundere*, plene, atque omnino offerre, relinquere, & conformare tuam Divinæ Voluntati,

nis & unientis amoris ideo continuè agitur , ut quiescas in solo Deo , & flammigeris desideriis in spiritu unum cum eos , ad quod nos perducit actuosus & experiens 7. amor : ita in isto unionis exercitio , acutis & astantibusque desideriis eniti debes plenissimè absque ulla cordis retractione , voluntatem tuam unire & que transfundere in gratissimum 9. Dei beneplacitum : ita ut ex impulsu nudi amoris , ipsum divinum beneplacitum semper sit summum tuum desiderium , gaudium & solatium in omnibus , sive sint exteriores adversitates , infirmitates , persecutioes , oppressiones , & peccata : sive interiores pressuræ , subtractiones gratiae , frigus cordis , obnubilatio sensuum , aut tentatio quæcumque . Et in tali tempore obductionis 10. & temptationis , maximè tibi cavendum est , ne aliquas consolationes per sensus tuos quæzas

7. Præter *Habitu*m requiruntur plures *attus* Amoris , ut experimentaliter acquiri & gustari possit Unio cum Amato .

8. *Acuta* penetrant lignum ; & desideria *acuta* penetrant omne impedimentum quarumcumque distractionum , & occupationum ,

9. Omne Dei beneplacitum est tibi saluberrimum , ideoque sit tibi gratissimum .

10. Nubes *obducunt* , occultant , & obtenebrant Sydera : sic etiam tentationes , distractiones , & desolationes nostræ abtemebant lumina Fidei , sanam Rationis &c.

ras, aut leviter 11. te extrovertas vel occupes, seu otio marcescas : sed semper, quoad poteris, ad bona exercitia te cagas, aut bonis forinsecus operibus saltem te occupies : quæ tibi licet sint tunc insipida, sunt tamen Deo magis accepta; cum fideliter, quod in te fuerit, feceris. Quapropter statue fixum 12. in corde tuo, omnia hæc adversa idcirco tibi Dei permisso accidere, ut probet fidelitatem tuam, & habeat occasionem copiosius te ditandi omnibus donis & gratiis spiritu- alibus, si fideliter perseveraris.

Et his breviter præmissis, ac velut in quendam fasciculum 13. pariter collectis, ulterius concordare debes per amorem unientem, 14. in ipsam charitatem in-creatam, quæ Deus est : ut sic ibidem anima feliciter liquefacta, 15. omnium

L 4

no

11. i. e. Vanè, aut curiosè.

12. i. e. Firmiter Crede.

13. i. e., in quoddam compendium.

14. i. e., perfectiores & frequentiores actus amoris exerceere debes, per quos intimius unitas cum Deo tuo.

15. *Liquefacta*, i. e., plenissimè resoluta, & parata ad procurendam, & recipiendam omnitudinem similitudinem Christi Domini, & Dei nostri,

orum , quæ pertinet à Domino , quasi figura factam impressionem 16. recipere metatur. Cæterum quisquis hæc crebro exercitaverit , & illis perseveranter inhæserit , impossibile est , ut ad vitæ perfectiōnem non perveniat.

Hinc cum tanto fervore , Dei incipies honorem querere in omnibus , ut quasi tui ipsius oblitus , 17. pro nihilo ducas te mille pro eo periculis exponere , & non sentias differentiam inter honorem tuum & contumeliam , gaudium & dolorem , sed quicquid ad eius honorem spectare noveris , quantumvis difficile , cum impetu 18. quodam amplectaris. Quum autem omnia feceris , quæ potuēsis , quasi nihil te fecisse , immo defecisse , existimabis , erubescens & te ipsum perfecto odio detestans , quod tali ac tanto Domino tam miserè obsecutus sis. Quapropter majora & perfectiora quolibet momento temporis agere & pati desiderabis. Et quia à Dei dilectione vehementer

16. Sicut cera liquefacta recipit omnigenam figuram sigilli impressi.

17. *Oblitus* , & incurius , i. e. , non jam tua querens & curans , sed illa , quæ sunt Iesu Christi.

18. *Impetus* iste semper debet esse tranquillus , & discretus , & propriè servorem charitatis significat.

ser impedit amor proprius seu dilectio
sui , ideo debes te ipsum perfectè odisse :
19. & pleno corde petere ab omnibus de-
spici , conculcari , flagellari , vilissimus
reputari , & ad nihilum redigi . Nec pro
magno habebis , si in tuis injuriis delecte-
ris , & in tuis doloribus consoleris , nisi
etiam cupias alios credere , te istis & om-
nibus pœnis & contumeliis esse dignissi-
mum ; & te ipsum adeò abomineris , ut
vix tolerare te queas , factus tibi ipsi ex-
ecratio , adeò ut etiam ab irrationalibus
creaturis impugnari & puniri cupias . Et
quùm aliquid delectabile tibi sumendum
fuerit , illud cum mœrore & horrore tui
ipsius sumas : ita tamen , ut ne interim ne-
cessaria indiscretè tibi subtrahendo , natu-
ram destruas , quum sola vitia tua tibi sint
persequenda & destruenda . Quod si hoc
pacto animam tuam oderis , ad perfectam
Dei dilectionem facile pertinges . Verun-
tamen scias perfectissimum hoc proprii
odii tui ipsius donum , solum Deum dare
posse , & dare paratum esse , si id instan-
ter postulaveris . Nec affirmo tamen ,
quod tibi pro se pati dabit : quia hoc non

L 5

om-

19. Odium hoc solummodo peccata , vitia ,
& pravas inclinationes aut consuetudines im-
pugnat , non ipsummet hominem , quem sancto
& sano amore prosequi debemus .

omnibus dare solet , 20. sed ad minus dabit tibi velle pati.

Porrò si prædicta Creatoris dilectione bene inebriatus fueris , alterum etiam quod in supradicto exercitio postulasti , adjicet , videlicet ut suæ crucifixæ imaginis perfectius conformeris : ut nihil in omnibus & per omnia quæras eorum , quæ tua sunt ; sed quæ Iesu Christi , & quomodo illi possis ferventius semper servire , placere , & conformari : atque perfectius tuam voluntatem abnegare , & ipsum diligere : obliviscens quodammodo tui & omnium serum , & præ amoris magnitudine non advertens dulce & amarum , tempus & locum , personarumque distinctionem : sed in omnibus creaturis solum quærens & considerans Deum Creatorem , & ejus voluntatem , honoremque , aspiciens quoque plena fide Christum in membris suis . Sicque in activa vita contemplativam ducas , si te totum 21. recolligens , intres in

20. Sicut Miles paratus esse debet ad pugnas , ut reportet coronas , quamvis Imperator non cui libet huiusmodi occasiones subministret : sic nos parati esse debemus ad pugnandum , & patiendum , & promerendum , quamvis non semper habeamus materiam &c.

21. Se totum , i. e. , omnes vires animæ , & operationes earum , omnésque sensus tam in quām externos ,

in cor tuum , & ejus intima penetrans , resolvas , resignes & amittas 22. te in Deum. Tunc quodammodo deificatus , & in Deum transformatus , ad quocunque te converteris , nihil nisi 23. Deum considerabis. Et quicquid boni operis Homo fecerit , non hominem , sed Deum solum id facere aestimabis. Sicque Deum invenies in omnibus. Et hoc ipsum oratione magis , quam industria tua , à divina impetrabis largitate.

Porrò si ea , quæ supra diximus , nimis tibi ardua fuerint via , incipiens faltem conare semper id eligere , quod fuerit magis honorificum Deo , conforme Christo , utile proximo , adversum tuæ voluntati , cruciabile & ignominiosum tuo corpori : indesinenti cordis desiderio clamans ad Dominum his verbis , videlicet , *Nihil sum , Nihil habeo ; Nihil præter dilectionem Jesu desidero.* Et si sic fideliter perseverâris in operatione spirituali , tandem te Dominus misericorditer liberabit à tumultu cogita-

22. *Amittas* , i. e. , penitus relinquas Deo , & Eius Providentiæ.

23. Quomodo per obvia *omnia* Deum & D. N. Iesum Christum recognoscere , & quasi intueri valamus , monstrant plures Ascetæ , & Theologi . e. g. *Cardinalis Bona , Laurentius Scupulus &c.*

tationum & affectionum terrenarum,
 quas nulla arte melius fugabis, quam
 continuo desiderio dilectionis Jesu Christi.
 Sed & hoc ipsum desiderium necesse est,
 ut idem ipse Dominus Jesus inspiret,
 operetur & conservet in te, non tu:
 sed te interim opus ejus petente, sus-
 cipiente, & non impediente, verum sol-
 licite conservante. Enimvero quanto
 perfectius omnem tui ipsius amorem &
 mundanam cupiditatem abjeceris, tanto
 profundiūs Deo unieris, & ejus amore
 inebriaberis: sicut pulchre Esaias, post-
 quam hortatus est nos, ut dissolvamus
 colligationes 24. impietatis, & solvamus
 fasciculos deprimentes, & exhibeamus
 proximis opera charitatis & misericor-
 diae, & sabbatum 25. Domini custodia-
 mus, promittens dicit: *Orietur in tene-
 bris lux tua, & tenebræ tuae illuminatae
 erunt sicut meridies: & requiem consciencie
 dabit tibi Dominus semper, & im-*
ple-

24. *Colligationes impietatis, & fasciculi de-
 primentes*, sunt colligatae, per multitudinem,
 vel per consuetudinem, vel per scandalum alio-
 rum, impietas, quæ hominem avertunt & de-
 primunt à Creatore ad Creaturas &c.

25. Sabbathum Domini custodire est quiete ac
 devotè cum Deo, vel in Deo vivere. Cum Deo
 vivit, qui Ei servit ex Charitate: *in Deo autem,*
 qui *in Eius consideratione, contemplatione,*
recordatione, & Dilectione sese perficit,

Plebit splendoribus gratiarum animam tuam, & ossa tua 26. liberabit. Et post pauca : *Dum non facis vias tuas, & non iavenitur 27. voluntas tua, ut loquaris sermonem, tunc delebitaberis super Domino, & sustollam te super altitudines terrarum, & cibabo te bareditate Jacob patris tui.* *Or enim Domini locutum est Promissiones istas. Ecce non est abbreviata 28. manus Domini, ut salvare nequent.* Et reliqua, quæ sequuntur Esaiæ LVIII. & LIX. Cap.

Ut semper in DEO vivens 1. & quotidie 2. unionem renoves. 3.

EXERCITIUM XIV.

Post omnia hæc, quæ prædiximus, exercitia, gradatim & singulatim tempore suo fideliter expleta, super omnia

26. *Ossa* sunt fortiores Corporis nostri partes, & significant prædominantes passiones, consuetudines, & similia, quæ liberari debent cum gratia Divina à culpis, maculis, pœnis, & inordinationibus suis.

27. i. e., dominatur propria

28. *Abbreviata*, i. e., debilitata

1. *In Deo vivit*, qui in Dei Voluntate & Charitate & Præsentia manet.

2. *Quotidie*, sœpius, prout permiserint circumstantiae,

3. *Renovandi* sunt actus amoris, bonæ Intentionis, & perfectæ Conformatio-

nia discas verè & perfectè in Deo vivere & manere. Et hoc fieri oportet per duas virtutes , videlicet veram vividamque fidem , & per purum , ardentemque 4. Dei amorem : Quia parum est te Deum in te 5. habere , quem citò amittere potes , nisi tu ipse quoque in Deo 6. sis totus absconditus , absorptusque. Primo quidem firmiter credas , te esse in Deo , & Deum in te , ut sacrum testatur Evangelium & scriptura divina. Qui manducat , inquit Dominus , meam carnem & bibit meum 7. sanguinem , in me manet , & ego illo. Manete in me , & ego in vobis. Qui manet in me , & ego in eo , bic fert fructum multum : quia sine me nihil potestis facere. Manete in dilectione mea. Si præcepta mea servaveritis , manebitis in dilectione mea. Rogo , Pater , ut omnes unum sint , sicut 8. & nos unum sumus. Deus

4. Amoris ardorem explicat S. Thomas Aquinas in gradu Nono Amoris. Opusc. 61.

5. Deum in nobis habemus per & propter Eius Immensitatem.

6. In Deo sumus , quando , & quamdiu Cogitationes , & Affectiones nostras in Deo occupamus , abscondimus , consummamus.

7. Duplex est Manducatio , Sacramentalis , & Spiritualis , utraque suo modo sufficit ad Unionem Amoris.

8. Omnes unum sint Unitate Fidei , Spei , & Charitatis.

Deus caritas est, & qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in illo. Attamen ut id clare perspicueque cognoscas, magnum est donum Dei: quod merito ab Eo petere debes. Deinde ubi jam liquidè 9. credideris, senserisque esse te in Deo, discendum tibi est vivere & permanere in illo, quod est homini maximè salutiferum. Cum enim in Deo vivis, vires animæ tuæ & sensus corporis, semper Deo inclusa serves 10. oportet, ubi semper multa gaudent securitate. Ut si verbi gratia, te ipsum in conclavi includas, nihil illuc videre, audire, gustare, vel tangere potes, nisi quod est in conclavi: & quotquot foris sunt, neque contingere, neque lædere te possunt: sic quando in Deo vivis, quidquid sive tangas, sive aspicias, sive audias, sive gustes, Deum tibi exhibes præsentem, 11. qui tibi factus est omnia in omnibus. Ideo etiam omnia bona & mala non à creaturis, sed in sancta simplicitate, absque omni multiplicitate & curiositate cogitationum,

im-

9. *Liquidō*, i. e., Certitudinaliter, vel Experimentaliter.

10. *Semper inclusa serves*, & occupata vel Perfectionibus Divinis, vel Mysteriis, Verbis & Exemplis Christi.

11. *Præsentem* in aliqua Recordatione, vel contemplatione jam huius, jam alterius Mysterii, Attributi &c.

immediatè à solo Deo humiliter recipias , & rursus in Deum referas , quærendo ex - & in omnibus honorem & beneplacitum Dei , proximorum salutem , & tui ipsius humiliationem & emendationem elicere , & fideliter implere , Deoque & omnibus creaturis propter Deum , non contra Deum , maximè autem superioribus tuis , humiliter obedire , abnegata in omnibus tua propria voluntate : quandoquidem te & omnes creaturas cognoscis esse in Deo , 12. nec ulla te potest creatura contingere , nisi prius Deum 13. contingat : eo quod te ipsum totum exueris , abnegaveris , transstuleris , 14. & incluseris in Deo . Et hac de causa Deum semper magis audiás , videás , tangás , gustés oportet , quam 15. ullam aliam rem . Ubi ergo Deo sic te ipsum unitum cognoveris , ut anima tua Deo , quam tuo corpori , con-

12. Creaturæ omnes sunt in Deo , quia Ipse omnes & fecit , & conservat , & Comprehendit , & penetrat , & gubernat.

13. Quia nihil fieri potest , quod Deus nesciat , omnia tibi accidentia prius Dei scientiam , quam tuam personam contingunt.

14. Te totum *exuis* per oblationem , *abnegas* per Mortificationem , *transfers* per Resignationem , *includis* per unionem .

15. Magis , i. e. , *Principalius* confideres in omnibus Creatorem , quam Creaturas .

cōjunctior 16. sit : quodque Deus sit
eternum , unicum , incomprehensibile &
ineffabile bonum , & ex Ipso anima tua
profluxerit , tantamque habeat Dei si-
militudinem , ut creatura nulla , imo nec
ipsa dignissima creaturarum omnium vir-
go semper Maria , animae nobilitatem
plene capere & scire possit : divino tunç
succensus amore ad divinitatem acceden-
do , 17. quotidie matutino 18. tempore
ista te poteris ratione exercere , quando
videlicet per Christum intrare , 19 &
Deo in spiritu intimè te unire volueris.

Coram crucifixi imagine procum-
bens , firmiter crede , sedere te coram nu-
do , crucifixo , cruentoque Jesu Domino
tuo. Et licet Eum non videas oculis ex-
ternis , interioribus tamen Eum fideliter
aspicere debes. Cum enim te Illi uni-
re , ipsumque super omnia diligere appe-
tas , revera præsens illic adest , haud mi-
M nus ,

16. Anima separari à corpore potest , Deus
autem ab anima separari non potest , intimius
tamen & felicius unitur animæ Sanctæ.

17. Accessus iste fit non gressibus corporis ,
sed actibus bonis , ac sanctis animæ.

18. Matutino , vel quovis alio tempore op-
portuno.

19. Per Christum intramus i. e. , per Chri-
sti Merita , Verba , & Exempla reconciliamus ,
conformatamus , & conjungimus nos Deo ,

nus , quam pependit in cruce , & nunc
est in sinu Patris sui. Et quia quotidie
post gratiosam cum Deo unionem laberis
in aliquem defectum , & Deus minimum
peccatum non patitur in homine , cui se
unire 20. debeat , præ nobilitate & sancti-
tate sua , ideo per sacratissima Jesu vulne-
ra , 21. quæ eam ob causam suscepit ,
retinuitque , ascendas , ut per eius huma-
nitatem ad divinitatem accedas , sicut
ipse ait : *Ego sum ostium , si quis per me
introierit , pascua 22. inveniet.* Et primæ
quidem profunda cum humilitate ad sa-
cros illius pedes collapsus 23. duo illic
facies : in principio lachrymis illos riga-
bis , & dulciter 24. deplanges , proflsus-
que immerges te ipsum & omnia peccata
tua , omnesque defectus , parvos & mag-
nos , quibus ipsum fidelissimum Patrem
tuum in conscientia tua inveneris te rursus
of-

20. Nam unionem perfectam impedit etiam
minimus pulvisculus in materialibus.

21. Per sacratissima Vulnera ascendimus , quan-
do Vulnerum Merita nobis applicamus , & Vul-
neratum imitamur.

22. *Pascua* gratiarum Divinarum.

23. Hic iterum Partes ponuntur pro toto , tum
ad Memoriam localem , tum ad aliqualem distin-
ctionem .

24. *Dulciter* , quia dulciores sunt lachrymas
Poenitentium , quam gaudia Theatrorum. Item
Dulciter , nimirum sine anxietate , & diffidentia.

offendisse , in sacra illa pedum vulnera.
 Æterna namque bonitas Dei nullum (ut
 dixi) patitur medium , quantumvis exi-
 guum , ne unam quidem vanam cogitatio-
 nem , 25. aut morfellum unum , aliter quam
 oportuit , sumptum , nisi per paenitentiam
 hujusmodi defectus expurgetur . Secun-
 dò sacrosuos Domini pedes exterges capillis
 tuis , id est , firmis propositis , follicità , &
 perfecta voluntate peccata omnia , quamli-
 bet parva , devitandi , ita ut mori potius ve-
 sis , quam peccatum admittere . Deinde
 ardenti cum desiderio virtutes omnes am-
 plectaris , cunctis vitiis moriendo , 26. eis-
 demque virtutibus crucifiges 27. corpus
 tuum , juxta Christi pro te crucifixi simili-
 tudinem , uti supra in VII. exercitio la-
 tiùs habetur , ut sic honorem illi suum
 quo eum peccando privasti , restituere pos-
 sis . Tum verò Deo tuo ex animo confi-
 dere 28. debes , cunctos illum defectus

M 2 tuos

25. Pro condienda , & sanctificanda refectione
 oligendæ , & per consuetudinem in naturam ver-
 tendæ sunt devote quedam aspirationes inter
 odendum , & bibendum . *Deo gratias* facillime
 repeti , vel continuari potest ad singulas buccellas .

26. Cunctis vitiis morimur , quando vita cun-
 cta in nobis perfectè mortificamus , & eradica-
 mus .

27. Corpus nostrum crucifimus Virtutibüs ,
 si virtutes in corpore nostro figimus , firmamus ,
 & consummamus .

28. Confidere sine anxia inquietudine .

tuos in æternum ac immensum exuberantium meritorum suorum pelagus absorpsisse, eosque penitus tibi condonasse.

Et nunc quidem omnibus peccatis suis, quæ cum incipientibus ita deplanxisti, inferius prorsus derelictis, ad sanctas illius manus, quas charioribus amicis suis in signum amicitiae porrigit, cum proficientibus ascendas. Hic vero jam proprius accedens ad Deum, tanquam amorosam cum illo unionem petiçurus (quod qui semel ad minus in die non facit, 30. nescio, an Christianus dicendus sit) principio quidem curas omnes, distractiones & creaturas excludas oportet à corde, & in Deum, cui nihil perire potest, projicias: 31. Deumque tibi revera præsentem, 32. teque ardentissimè diligenter, expectantem,

29. Omnia peccata tua esse remissa tum propter infinitam Dei Misericordiam, tum propter infinita Jesu Christi merita.

30. *Omnis* die saltem semel totum Cor nostrum, breviùs, aut longius, convertere ad Deum nostrum debemus, Eumque reconciliare, adorare, invocare, amare &c. qui hoc negligit, non curat finem vitæ suæ, tam primum, quam ultimum.

31. *Projicias*, i. e., Deo commendes, & relinquas.

* 32. *Revera præsentem* per Naturam, & Gratiam.

tem , pulsantem 33. attendas : atque ita
& te in Deo , & Deum in te , ut ita dicam , includas , collectis pariter universis viribus & sensibus tuis , intra sacratissima manuum vulnera. Deinde Patrem orabis cœlestem , ut sua infinita potentia & memoria tua cunctas amoveat imagines 34. & affectiones extraneas , ipsamque & se ipso & divinis replete imaginibus & desideriis. Rogabis & Filium , ut sua sapientia intellectum tuum agnitione summi & increati boni , beneficiorumque suorum , ac suæ voluntatis , & tui proprii nihili , clementer illustret. Orabis etiam sacro-sanctum Spiritum , ut sua incomprehensibili bonitate voluntatem tuam & affectus omnes prorsus in se rapiat , absorbeat , & ardentissima charitate inflammet. Denique & crucifixum Jesum instanter preceris , ut per sanctissimas vires animæ , sensusque corporis sui ; omnes vires sensusque tuos cunctis nudare 35.phantasmibus & vitiis , restituereque eas in locum suum , & illas in se ipso , & se ipsum totum in illis , nudè & pure unire & includere dignetur.

M 3 .

Hinc

33. Juxta illud in cantico : *Ego sto ad ostium & pulso &c.*

34. *Imagines* , i. e. cogitationes , imaginatio-nes &c.

35. *Nudare* , & liberare.

Hinc jam duæ vires animæ , intellectus videlicet & voluntas , quoties Deo uniri vis , denuò tibi non absque labore excitandæ sunt & acuendæ ; intellectum quippe extendas ad cognoscendum summam Dei bonitatem , & infinitam charitatem , nobilitatem , sanctitatem : & ad sentiendum cruciatum omnem & pœnam , quæ ex maxima charitate pro nobis sustinuit : & ad admirandum stupenda dilectionis opera , quæ tibi exhibere dignatus est : colligendo omnia illius beneficia velut in fasciculum quemdam , id est , quæcunque cœlestis Pater per unigenitum filium suum præstít. Hinc jam voluntas accedens amare eum vult , quem novit summum esse bonum , sequæ æterna charitate tantopere dilexit. Et hic toto affectu radames illum vehementissimum amatorem , imo infinitum amorem , te perpetuò amans : Eumque *triplici* diligas amore , videlicet amore *nudo* , ut sis nudus & expeditus ab omni creaturarum dilectione , animalium quoque & cognatorum , & liber ab externis rebus vestium , librorum , & quarumlibet rerum , quandoquidem simul hæc cum Deo diligenter possunt , cum Deus totum amorem nostrum solus sibi optimo jure vendicit : & Dominus noster Iesus Christus ejus

*U*erius unigenitus, pro nobis pauper & crudus mortuus sit in cruce. Et istud adhuc ad externa pertinet, ideoque nec dum satis est. Sed secundò etiam puro amore nobis diligendus est Deus & libero ab internis concupiscentiis. Enimvero sunt quidem nonnulli extrinsecus pauperes, sed quamvis nihil habent, multa tamen habere concupiscunt: Necessarium proinde est, ut & intrinsecus pauperes & puri simus. Hæc autem interna puritas potissimum consistit in mortificatione cunctarum naturalium passionum & vitiorum, & in vera ordinatione & puritate omnium virium animæ, ut sint mundæ & absolute à mediis quibuslibet & imaginibus, Deumque suum mundo ac puro complectantur amore fine omni alio amore. *Tertiò* denum *verbamenti & efficaci* Deus amore diligendus est, qui utrumque jam dictum amorem ferè consumat absorbeatque, & te unum cum Deo faciat, & ad omnia alia velut insensibilem reddat, ut nihil amplius sentias, quam amorem tuum Jesum dulcissimum: quo fiet, ut semper in Deo permanere queas, ubicunque vel apud quoscunque te esse contingat. Hic namque amor 36. nun-

M 4 quam

36. Etiam inter convivia, colloquia, studia,
& negotia amor iste fortiter ac suaviter se ele-
vat ad Deum, & occupat cum Dco.

quam te ab amando, & te ipsum torum
in Dei gloriam impendendo, quiescere
finet: sed ex ipso est, ut ex singulis
quibusque foliis vel gramineis herbulis,
tuo conspectui se offerentibus, præcla-
ram optares facere creaturam, quæ pro
te, & tecum amaret laudaréque Deum
Creatorem tuum: imò si possibile foret,
ut ex quibuslibet hominibus cœlos con-
dere posses, eosque illi offerre ad suam
laudem & gloriam, id tibi per quam
gratum esset, libentérque faceres. Hoc
jam triplici amore ornatus & accensus,
torusque ignita dilectione plenus, sen-
sus corporis virésque animæ tuæ for-
titer 37. intra te colliges, & intrahes in-
trorsus in teipsum, quasi rebus omni-
bus mortuus, 38. atque ita dignissimum
arque dulcissimum cor Jesu ignito amore
plenus accedens, in illud velut in im-
mensum quoddam summæ bonitatis pe-
lagus, & in infinitæ charitatis abyssum,
his VI. exercitiis ingredieris 39. Pri-
mò teipsum totum cum universis crea-
turis, in simplicitate cordis tui, cum
ani-

37. Fortiter & constanter, non superficialiter
tantum & momentaneè.

38. Rebus omnibus mortuus est, qui res mul-
tas amat, curatque.

39. Ingrediérис, i. e., Deo amantissimo, Amo-
rique Divino appropinquare, uniri, & immungi
conaberis.

anima , corpore , & tota substantia tua , liberrimè in amabilissimam Dei voluntatem , in tempore & æternitate , ad omnem etiam adversitatem & pressuram cordis doloremque corporis , & ad omnia quæ tibi evenire volet , etiam ad poenam inferni suo pro amore sufferendam , te *offeras* paratum : ut te talem efficiat , possideatque , qualis illi placuerit , haud secùs quām cùm' necdum creatus esses. Secundò liberè *exigas* à Domino Deo tuo , non solum omnes gratias & dona , quæ Deus habet , quibusque tu indiges : sed etiam totum , quod Deus est ; ut eo solo fruaris in suo nudo & infinito 40. amore. Postulabis etiam tibi nudum 41 & perfectum spiritum , claram cognitionem divinæ bonitatis & voluntatis , & tuæ indignitatis , omnium virtutum notitiam & perfectionem , 42. fortemque in omni virtute perseverantiam. Denique & omnia alia necessaria pro salute tua , tuorum specialium , totius Ecclesiæ , & animalium in Purgatorio. Et quia Deus

M 5 æter-

40. *In suo nudo & infinito*, i. e. in suo purissimo, & plenissimo amore.

41. *Nudum*, & à creaturis, peccatis, vitiis,
passionibus, & imperfectionibus univerfis libera-
tum.

42. *Perfectionem*, i. e., perfectam acquifitionem, operationem, conservationem & conſumationem.

æterna charitas est, qui te ab æterno in sua gestavit 43. divinitate, idcirco tertio illi te *conformabis*, videlicet desiderando, si ei gratum foret, in tanta derelictione, cruciatu, ignominia, paupertate & miseria vivere, in quanta Christus ipse vixit: eisdemque virtutibus mudam animam tuam vestiri & ornari, quibus ipse ornatus fuit. Sic etiam quia ipse æterna charitas est, & te quoque in amorem *transformari* oportet, antequam in beatius pervenire queat, idcirco ardenti te desiderio erigens, postulabis ea dilectione ornari, qua Christus ornatus fuit: Ut sic illi secundum divinitatem & humanitatem suam conformis & Deiformis effectus, quartodecimum loco fortiter desiderare queas, ut illi possis absque ullo medio felicissime *uniri*. Tum verò illi jam unitus, 44. ad divinitatem ipsam accedas: ubi quicquid creatum est, foris relinquens, & nec teipsum quidem sentiens aut cogitans, tam profundè te immerges,

ab-

43. Sieut artifex suum artefactum in sua gestat idea, atque memoria.

44. *Unitus*, i. e., reconciliatus, & conformatus, & tanquam membrum suo capitulatus Christo, ulteriores, ferventiores, frequenteriores, & perfectiores actus Amoris exercebis erga Deum.

abscondes & transferes in 45. dulcissimum Deum tuum , imo in ipsum æternum amorem tuum , ipse quoque ignis amore plenus , ut nunquam dehinc à creaturis inveniaris ceu fragilis creatura. Hic ergo desiderabis à summo bono absorberi , & illud 46. vicissim absorbere : quum bonum illud incomparabile nihil aliud sit , quam abyssus quædam immensa æterni & infiniti amoris. Sicque in corde Jesu liquefas 47. ex superadmirabili amore & bonitate Domini Dei & sponsi tui : rogans eundem , ut aperiat tibi pulcherrimum , lucidissimum , & amoenissimum regnum 48. divinitatis suæ , in illud te prorsus immergi & transformari permittens : dicesque hoc vel simili modo : *O superadmirabilis potentia , sapientia , & bonditas Domini Dei mei. O superadmirabile mirum , & superadmirabile bonum , quando*

45. Ut neque te vel tua , corporalia & temporalia , neque aliquid aliud inordinate cogites , aestimes , diligas , appetas &c.

46. *Absorberi* , i. e. , à distractionibus , & imperfectionibus omnibus liberari : & *Absorbere* , i. e. Deum , Deique Perfectiones integrissime cognoscere , & quasi comprehendere.

47. Ex consideratione Amoris Jesu ad omnes virtutum actus paratissimus evadas.

48. Regnum , i. e. Gloriam , & felicitatem &c.

*do me totum transformabis & abscondes
in te, & te in me? Quod enim est mar-
ri absorbere unam guttam, hoc tibi est ab-
sorbere me. O Domine Deus meus &
omnia, utinam possem ex qualibet crea-
tura facere animam, & ex qualibet ani-
ma, maxime autem ex mea, facere tibi
regnum cælorum, in quo pacem & gau-
dium haberes, pro omni dolore & tri-
stitia tua, quæ pro me sustinuisti, liben-
tissime hoc omnia tibi darem & facherem.
Patiar, quæso, pro honore tuo, si vis,
pænam omnium damnatorum, & laudem
te laude omnium beatorum. Aperi mibi,
quæso, deliciosissimas divitias superardentissi-
simæ divinitatis tuæ, & absconde me in te, ut
nulla unquam creatura inveniri 49. queam.*

Quod si hic ulla adhuc tibi creati in-
tellectus scintilla 50. supereft, attendas
paulisper æternam Dei tui potentiam, sa-
pientiam, & charitatem, donec mirabili
quodam modo velut in ecstasi, cogitando
fias

49. *Inveniri, & ad aliquid inordinatum,
vel imperfectum permoveari.*

50. *Quod si hic, & post tot Exercitia Virtu-
tum, præsertim Amoris Divini, etiamnum cogi-
tationes mundanæ, aut vanæ distrahunt, & in-
quietant, scintillarum instar, Dilectionis tue
devotionem, renovatis, & amplificatis Medita-
tionibus, quanto brevioribus, tanto efficaciori-
bus, eas excludere debes, & quasi annihilare, ut*

fias absque cogitatione , 51. cognoscendo absque cognitione , 52. amando sine amore : 53. efficiarisque per gratiam , quod Deus est per naturam . Denique si sic in corde Jesu conversantem divinitas 54. absorberit , felix eris : sentiesque quæ nec dici nec scribi possunt , nec in cor hominis ascenderunt 55. bona Domini , quæ solus expertus utcunque intelligit .

Porro hoc XIV. exercitium , instar aliorum , duabus in die horis observabis , per XXXIII. dies continuos , ad honorem annorum vitæ Christi : & interim quotidie

51. Raptus in Deum & in Divina , cogitando Deum fias absque Cogitatione creaturarum :

52. Cognoscendo Divina fias absque cognitione mundanorum :

53. Amendo Jesum fias sine amore quorumunque Carnalium aut spiritualium donorum , bonorum , Hominum , & Angelorum .

54. Efficiarisque per gratiam , quod Deus est per Naturam , nimirum tam ordinate , tam intensive , tam perfecte Amans Deum propter semetipsum , & cætera tibi convenientia propter & secundum Deum , Deique beneplacitum , juxta statutum & officium , obligationes , & occasiones tuas &c.

55. Sic Vivens , Amans , & Jesu Christi Humanas virtutes imitans , occultissimas , & felicissimas Dei Perfectiones intelliges , & gustabis , experieris , miraberis , & beatificaberis .

die communicabis. 56. Et postea, quoad vixeris, omni die semel cœlesti sponso tuo per hoc idem exercitium, manè aut alio congruo tempore, te *resignabis, offeres*, & absque ullo medio distrahente & impediente ferventissimè, humillimè, fidelissimè, devotissimè, perfectissimè ac purissimè *unies*: Septimum 57. nihilo minus exercitium, etiam supra di-
ctum, nunquam deser-
turus

*Ad Laudem DEI sublimis & glorioſi, in
ſaccula benedicti, Amen.*

F I N I S.
O P U S C U L I
Exercitiorum Eschii.

COL.

56. *Communicabis*, vel sacramentaliter cum Permissione discreta: vel spiritualiter cum devo-
tione extraordinaria.

57. Etenim merita, & Exempla Viventis, Pa-
tientis, & Morientis D. N. Jesu Christi nunquam
funt amittenda, vel obliuiscenda, sed in dies, in
horas, in momenta singula Copiosius nobis ap-
licanda.

COLLOQUIUM

Theologi & Mendici

*Compendiosissimum continens absolute
cum divina voluntate conforma-
tionis praxiu.*

*Quod à vetustis exemplaribus Joanne
Thaulero adscribitur.*

Fuit olim insignis quidam *Theologus*, qui annis octo precibus continuis à Domino id cupiebat obtinere, ut ipsi hominem quemdam ostenderet, qui eum *viam veritatis* edoceret. Cumque vice quadam vehementissimo hujus rei flagraret desiderio, vox quædam cœlitus lapsa, ita ipsum allocuta est; Exi foras ad limina templi, & offendes illic hominem, qui te *viam veritatis* edoceat. Exiens igitur invenit *Mendicum* quemdam diruptis, sordidis, lutosis pedibus, cujus vestes in universum vix tribus obolis supputares; quem salutans, ita affatus est *Theologus*: Det tibi Deus *prosperum mane*. Respondit *Mendicus*: Non memini me unquam *adversum mane* habuisse. Et *Theologus* Eja, inquit, ut *fortunatum* te faciat Deus, quid ita loqueris? Respondit *Mendicus*, sed nec *infortunatus* aliquando fui. Et *Theologus*, esto *felix*, ait, quid sibi hæc tua
ver.

verba volunt; Et *Mendicus*, nunquam
ait, *infelix* fui. Rursum itaque *Theolo-*
gus salvet, inquit, te Deus, jam nunc
apertius loquere, neque enim capio,
quid dicas. Tum *Mendicus* respondit,
libenter id faciam. Optabas mihi,
Domine Magister, *prosperum mane* : &
ego me nunquam *adversum mane* habu-
isse respondi. Quando enim *fame*
premor, *Deum laudo*; & si *frigus pa-*
tior, si *grando*, si *nix*, si *pluvia cadit*,
si *aura serena est*, vel *turbulenta*, *Deum laudo*;
si *miser sum atque despectus*, *De-*
um similiter laudo. Et ideo nunquam
triste manè mihi contigit. Optabas
etiam *fortunatum me fieri*, & ego nun-
quam *infortunatum me fuisse respondi*.
Novi enim cum Deo, *Ei in omnibus*
consentiens, & *subordinatus*, *vivere*;
cer-
tusque sum, *quidquid ille facit*, *non*
posse non esse optimum; *unde quidquid ip-*
se vel dat, *vel permittit mibi*, *sive gra-*
tum id est, *sive contrarium*, *ingratum*
que, *dulce vel amarum*, *latus id tanquam*
optimum ab ipso suscipio, & ideo nun-
quam *infortunatus sum aut fui*. Di-
cebas præterea, ut *felicem me faceret*
Deus; ad *quod ego similiter*, *nunquam*
me infelicem fuisse, *subjunxi*. Nam Soli
divinae voluntati inbærere, *subincere* &
acquiescere statui, *in quam sic integre*
omnem meam transfudi voluntatem, *ut*
quid-

quidquid ille vult, & ego velim; & hac de causa nunquam infelix fui, cum, ut dixi, illius duntaxat voluntati inhærere velim, & meam voluntatem ipsi ex integrō resignarim.

Hæc cum *Mendicus* ille retulisset, ita eum rursus *Theologus* affatus est; Quid, obsecro, dicturus essem, si te *Dominus* Majestatis in *abyssum* demergere vellet? Et *Mendicus*, in *abyssum*, inquit, me demergere? revera, si id faceret, duo mihi *bracchia* sunt, in quibus Eum amplexarer. *Unum* est vera *humilitas*, & hoc illi suppono, atque per ipsum sacratissimæ *humanitati* ipsius unitus sum. *Alterum*, idemque *dexterum*, est *amor*, qui *divinitati* ipsius unitus est, atque per hunc ipsum circumplexor, ita ut tecum ad *infernum* descendere cogeretur. Optatius autem multò mihi foret, in *inferno* cum Deo esse, quam vel in *cælis* sine *illo*. Ex his igitur *Theologus* ille didicit, vetam *resignationem* cum *humilitate* profunda compendiosissimam ad Deum *semitam*, viamque *secretam*, & securam esse.

Dehinc iterum ex illo *Mendico* percontatus est *Theologus*. Unde venisset? Cui *Mendicus*, à Deo se venisse, respondit;

N

dit ; Cumque *Theologus*, ubi Deus regnaret, perisset, sciscitaretur ; ibi, inquit ille, ubi *creaturas omnes* dereliqui. 1. Et *Theologus*, ubi vero, 2. ait, Eum reliquisti ? Respondit *Mendicus*, in mundis cordibus, & hominibus bona voluntatis. Et *Theologus*, Quisnam, ait, es tu ? Respondit *Mendicus*, Rex sum ego. Scisctante *Theologo*, ubinam esset regnum ipsius, in anima sua id esse respondit *Mendicus*. Sic enim, ait, & externos, & internos meos sensus regnare 3. novi, ut cunctae affectiones & vires animae meae, mihi subditae sint. 4. Quod profecto regnum cunctis mundi hujus regnis praestantius esse nullus ambigit.

Et rursus *Theologus*, quid, inquit, ad hanc te perfectionem perduxit ? Respondit *Mendicus*, nimium 5. silentium meum ; sub-

1. Ubi hie significat tempus ; nam quando *Creaturas* amare cessamus, Creatorem diligere incepimus :

2. In autem significat locum, quia in mundis cordibus Hominum delectatur habitare Deus.

3. Regere, Coercere, & gubernare.

4. Cum universis membris, & sensibus corporis.

5. Silentium devotum cum Deo in solitudine, si non semper exteriori, saltem interiori cogitationum, Passionumque humanarum.

Sub-

Sublimes meditationes, 6. & *unio cum Deo.*
 In nulla re, quæ *Deo minor* est, qui-
 esccere potui. *Jam vero Deum meum*
inveni, & in ipso *pacem & quietem ha-*
beo sempiternam, Amen.

6. *Sublimes*, sanctæ, & continuatæ *Medita-*
tiones Divinorum, *Christianorum*, æternorum,
Novissimorum &c. *Unio facta*, renovata, re-
petita, consummata, frequentius, & ferventius,
cum Deo, & D. N. Jesu Christo. *Propter hæc*
& ad Hæc in nulla Creatura, recreatione, oc-
cupatione, delectatione terrena, aut carnali
gaudere, consolari, & quiescere potui, secun-
dum gradus amoris Piores à S. Thoma expli-
catos.

U. F. O. G. D.



N 2

Dili.

Diligas Dominum Deum tuum

Ex *toto corde tuo*, i. e. **Ex - & - cum Purissima, simplici, ac Deiformi Intentione**
Ei per omnia, in omnibus, & ex omnibus satisfaciendi, obediendi, placendi, & adhaerendi &c.

Ex *tota anima tua*, i. e. **cum plenissima Conformatio-**
nem voluntatis tuæ cum Divina &c.

Ex *tota mente tua*, i. e., **cum perfectissima Fide, & indefinienti Memoria Eius &c;**

Ex *totis viribus tuis*, i. e. **senibus, & mem-**
bris, eorumque vel minimis actibus, motibus, gestibus, habitibus, &
consuetudinibus &c.

Ex *tota Virtute, & integro fervore spiritus*
tui in inchoandis, continuandis, & per-
ficienis quibusvis bonis operibus of-
ficii, statu, sexu, & ætatis tua &c.

Et ex *tota fortitudine tua, omnique Patientia,*
longanimitate, gratitudine, & Perse-
verantia tua in quibuscumque tenta-
tionibus, angustiis, miseriis, & tri-
bulationibus &c. usque in finem :

Ut in *Omniibus, & ex omnibus, per omnia,*
& super omnia ametur, honorificetur, & Glori-
ficitur Deus, optimus, Maximus, Pulcherrimus,
Perfectissimus &c.

Ex-

Explicatio Orationis Dominice

Pro Via Purgativa.

Pater noster qui es in Cœlis, tam animatis, & rationalibus, quam inanimatis, Felicissimus, Perfectissimus, Gloriosissimus, Beatissimus,

1. *Sanctificetur Nomen tuum: non meum superbize*

2. *Adveniat Regnum tuum, gratia, & gloriae: non terrenum avaritiae.*

3. *Fiat Voluntas tua sicut in Cœlo, & in terra: sicut in patria, sic & in via: non mea invidize, vel irvidentiae.*

4. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, non superfluum gulæ*

5. *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, & nec vindicamus, nec reservamus Irae.*

6. *Et ne nos inducas in temptationem luxuriae, quæ sepiissime labitur in Consensu, quando - & quomodocumque tentatur.*

7. *Sed libera nos a malo acedize, & impunitentiae. Amen. Fiat.*

Explicatio Dominicæ Orationis pro Via Illuminativa.

Pater noster &c.

Sanctificetur Nomen tuum. Per Fidem Romanorum - Catholicam.

Adveniat regnum tuum. Per Spem.

Fiat voluntas tua &c. Per Charitatem,

Panem nostrum &c. Prudentiae.

Dimitte &c. sicut dimittimus &c. Per Justitiam,

Et ne nos inducas &c. Per Temperantiam.

Sed libera nos &c. Per Fortitudinem, fortisque Zelum Honoris & Amoris Divini: salutisque tam propriae, quam alienæ.

Explicatio Orationis Dominice Pro Via Unitiva.

*Pater noster, qui es in Cælis: in Animabus
Iustis per Inhabitatem Gratiæ, vel glorio-
sam:*

*Sanctificetur Nomen tuum, etiam in nobis
& per nos, cogitatione, verbo, & opere, statu,
habitu, officio, actuque universo.*

*Adveniat regnum tuum, in Corde, corpo-
re, anima, & spiritu nostro per novas gra-
tias, & renovatam Præsentiam tuam*

*Fiat Voluntas tua sicut in Cælo, & in ter-
ra: i.e. sit ista inhabitatio tua tibi tam grata & glo-
riosa, etiam in terra cordis nostri, sicut ex
in animabus Sanctorum.*

*Panem nostrum Quotidianum da nobis hodie
& Superstantialē Eucharistiae, si non Sa-
cerdotaliter, saltem Spiritualiter, ut renove-
tur, & perficiatur unio, & Communio mutua
Christi & animæ, pro præsenti, & futuro,
pro tempore & æternitate.*

*Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos
dimittimus &c. omnia præterita dimitte, ne im-
pediat totalis reconciliatio, sed perficiatur, per-
fectaque maneat ex hoc in æternum.*

*Et ne nos inducas in tentationem præsen-
tem, aut futuram, quæ nos à te vel distra-
hat, & elonget, vel omniùm separat.*

*Sed libera nos à malo cuiuscumque distractio-
nis, indevolutionis, disjunctionis, dissimilitu-
dinis, & offendionis.*

*Amen - Fiat hoc totum in singulis horarum
momentis, diu, noctuque, atque in omni æter-
nitate &c.*

Com-

Compendium Omnium Exercitiōrum.

I.

Cognosce & contemplare Dominum Deum tuum , Quis ? quid ? qualis ? Quantus Est Ex Se , A Se , & In Se , & pro te ?

II.

Nosce & cura temetipsum , ex peccato alieno , & proprio , quoad corpus , & animam , in ordine naturae , gratiae , gloriæ .

III.

Confidera , indaga , expia , emenda omne peccatum .

IV.

Refræna , & recollige sensus internos , & externos .

V.

Purifica , & Deifica Intellectum , Voluntatem , & Memoriam tuam .

VI.

Mortifica , remove , ordina , vel etiam abiice , & abscinde omnia , quæcumque à Deo te separant , distrahunt , vel elongant .

VII.

Conforma te D. N. J. Christo in Virtutibus univerbis .

VIII.

Jesum Crucifixum 1. Imitare , & te emenda : 2. Ei compatere , & te uni : 3. Ipsum admirare , & considerationes tuas eleva : 4. Exulta in Effectibus Passionis , & Patientem , morientemque Lauda : 5. Resolvere , & transforma te in Ipsum : 6. In Eo quiesce , & persevera .

N 4

IX.

IX.

Dilectionem Dei , quae impediunt , remove :
quae promovent , & perficiunt , arripe .

X.

Amorem Proximi verbo , opere , & exemplo
ubique demonstra , & exerce , sine omni ama-
ritudine , cum perfecta dulcedine cogitationum ,
affectionumque .

XI.

Sine omni creatura , peccato , & delecta-
tione voluntaria vivere fatige , ut in nudo
Intellectu , & Affectu , cum humilitate , &
Charitate Deum per omnia , & in omnibus in-
venias , possideasque .

XII.

Beneficia , & Perfectiones Divinas meditare ,
atque ex iis inflammare : ora , aspira offer ,
pete , conforma , uni , immerge te Deo tuo ,
cum singulari Zelo honoris Divini , & odio
tui ipsius .

XIII. & XIV.

Simpliciter , & fideliter vive , & mane in
Deo : quotidie propinquius ad Deum accede per
Christum : roga Patrem Caelestem , ut memori-
am tuam magis , ac magis purificet : roga
Filium Dei , ut intellectum magis ac magis
illuminet : roga Spiritum Sanctum , ut volun-
tatem magis , magisque inflammet : roga Jesum
crucifixum , ut mores sensusque tuos magis ,
ac magis conformet suis sensibus , & Moribus :
quatenus per illuminati intellectus , & inflam-
matae voluntatis nudum ab externis , purum
quoad interna , & vehementer in omnibus , at-
que ex omnibus amorem , Creata omnia con-
temnere , relinquere , & pertransire , in cor Je-
su

su introire , & novo semper fervore te ipsum offerre , multa petere , Deo te perfectius conformare , unire , & absorbendum , ac deificandum imimmergere valeas. Amen.

Passionum Humanarum Usus bonus , & sanctus.

Ama

Deum , æternum , immensum , unicum & omne Bonum tuum.

Defidera

Jesu Christi Imitationem & similitudinem , tanquam medium securissimum ad Beatitudinem æternam.

Gaude

In sudoribus , laboribus , temptationibus , cum merito supernaturali exantlandis , vel exantlatis,

Odi

Peccatum , summum , & infinitum malum.

Fuge

Omnes peccandi occasiones , Inclinationes , & consuetudines ; omnésque hæreses , errores & erones.

Tristare

De peccatis tam propriis , quam alienis : eorumque fautoribus , & fomentis.

Spera

In Deo & Jesu Christo , Sanctisque Eius.

Despera

De te , de mundo , & diabolo.

Aude

*Aude.**In bonis ad meliora.**Time.**Mala & peiora, peccata & scandala.**Irascere.**Tibi soli semper.*

**Duodecim Consilia Evangelica,
ex Dionysio Carthusiano, in
Festo S. Lucae.**

Primum est *Perpetuae Castitatis*, quod omnem voluptatem Carnalem & voluntariam, etiam illam alias in matrimonio licitiam, abscondit, & excludit tam à Corpore, quam ab anima.

Secundum est *Perfectæ Paupertatis*, quod non solum possessionem, sed & affectionem rerum temporalium eliminat.

Tertium est *Obedientia plenaria* usque ad mortem Crucis, quod non tantum Præcepta & Vota, sed & Consilia, justaque Superiorum mandata omni voluntati, & discretioni propriæ semper humiliter, simpliciter, & fideliter præponit, atque adimplere satagit.

Quartum est de *Amore Inimicorum*, sive adversorum, qui in tantum est *præceptus*, ut nullum, quantumvis magnum, odisse, à precibus nostris Communibus excludere, post siuerè petitam reconciliationem ab amicitia nostra rejicere,

in-

Injustè punitum , vel criminio damnatum velle ,
 vel in extrema necessitate derelinquere unquam
 liceat : Consultus autem , & extraordinariæ vit-
 tutis , si etiam non precantibus veniam indulgemus ;
 ad novam amicitiam tum verbis , tum factis in-
 vitamus : specialiter pro iis oramus : singularia be-
 neficia eis exhibemus : eorum defectus , vel ex-
 cessus , injurias , ingratitudines &c. excus-
 amus , oblizioni mandamus , omni vindicta liberam
 mus &c.

Quintum est *Constans Patientia* , sive *Mansuetudo* in quibuslibet injuriis , cum voluntate seria &
 efficaci semper plures tolerandi , nisi Honor Dei ,
 salus animalium , aut quies falisque publica aliud
 expostulent . In tantum *præcepta* est hæc Man-
 suetudo , ut nunquam liceat propter qualemcumque
 injuriam admisere , aut sovere iram , indignationem , odium , rixam : vel instituere pro-
 cessum injustum , aut summere vindictam privatam .

Sextum est *Misericordia tam Spiritualis , quam Corporalis* fervens , frequens , & perseverant exercitatio : in casu necessitatis *extremæ* hæc est *præcepta* , ut etiam extra hunc casum de *Superfluis* , vel quasi talibus .

Septimum est *Non jurare omnino* ; quod
 alioquin nunquam sine veritate , *Justitia* , *Ne-
 cessitate* , & debita *Reverentia* licet .

Octavum *Fuga perpetua omnis* , etiam reno-
 tiae , occasionis ad peccandum ; fuga enim occasio-
 nis proximæ cadit sub *præceptum* , sicut fuga
 ipsius peccati .

Non-

Nonum Intentionis bonæ frequentior genova-
tio ; nam ex præcepto diligendi Deum in om-
nibus , per omnia , super omnia , & ex omni-
bus tenemur nos Convertere ad Deum , non so-
lum in primo usu Rationis & Fidei , sed etiam
omni die & hora &c.

Decimum est Conformitas operum cum Ver-
bis & prædicationibus , propositis , ac prote-
stationibus , seu professionibus nostris : quoad
præcepta , & vota est præcepti , quoad super-
erogatoria verò Consilii .

Undecimum est Suppressio , vel abdicatio
omnis curæ & sollicitudinis immoderatae , etiam
in utilibus , ac necessariis .

Duodecimum est Correctio fraterna . quæ in
peccatis gravibus , quandocumque habetur occasio
favorabilis , & sperari potest effectus optabilis ,
eadit sub præceptum Dilectionis Dei , & Proximi .

